

COMMENTARI
DE REBUS
IN
SCIENTIA NATURALI
ET
MEDICINA
GESTIS.




VOLVMINIS IX. PARS III.

LIPSIAE MDCCCLXI.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam

Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pa-
risiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti
officinis, Romae apud Venant. Monaldini.



I.

Histoire de l'Academie Royale des Sciences.

Année MDCCLIV. Avec les Mémoires de Mathématique et de Physique pour la même année, tirés de Registres de cette Académie. A Paris, de l'Inprimerie Royale. MDCCLIX.
4. Hist. I Alph. Mém. 3 Alph. 19¹₂ pl. 21
Tab. aen.

h. e.

Historia Academiae regiae scientiarum Parisinae
ad annum 1754. cum Commentariis mathe-
maticis ac physicis.

A ntequam ad hos commentarios enar-
randos nos accingamus, nonnulla ex
Historia Academiae delibanda nobis
sunt. Inter haec primo occurrunt
Observationes ad physicam generalem spectantes octo.

Prima est de ignibus, qui sponte sua nati sunt p. 28.
in superficie quorundam corporum, praecipue
tectorum stramineorum, et sepium ex arundine
factorum, in locis quibusdam agri Taruissini. Per

Aa 2 ver

ver atque aestatem obseruati sunt, sed tantum subdio, variis diei noctisue horis, tempestate etiam ventosa et pluuiosa. Praecessit illos fere semper gallorum cantus; canum v lulatus, et fortis odor sulphuris, quo illa loca abundant.

Secundo narratur, REAUMURIUM Academiae monstrasse nidum avis petrefactum, in Saxonia nostra repertum; quod ob corporum vere petrefactorum raritatem dignum visum est memoria.

Tertio, Idem monstrauit, et tanquam opus mirae diligentiae et industriae laudauit, taeniam praelongam, de folliculo bombycis euolutam.

Quarto vidit academia rarum in piscium genere monstrum, duo pisciculos ventribus iunctos.

Quinta obseruatio est de quadam sublimatione hydrargyri in barometro simplici, quae in conclaui per hiemem raro et modice calefacto contigit. Nempe in parte vacua tubi ascenderant globuli, nudis oculis haud conspicui, innumerabili multitudine, qui anteriori praesertim parti tubi adhaerebant, et vitrum ibi opacum reddebant. Et quamquam hi globuli per succussions tubi tollebantur, tamen post octiduum nouae maculae similes ibidem rursus conspiciebantur. Idem in alio barometro admodum phosphoro obseruatum est. Vtrum detur hydrargyrus, qui tam modico caloris gradu sublimari possit, an huius phaenomeni singularis caussa quaerenda sit in attractione vitri, per ambe untem aerem electricati, Academia in dubio relinquit.

Sexta est de halone seu corona circa Solem visa.

Septima, de lapide bezoardico orientali, ob magnitudinem, quae oui struthio-cameli magnitudinem aequat, notabili, qui in capra silvestri repertus dicitur.

Vltima, de fonte, qui sub finem aestatis nocta multo plus aquae, quam interdiu, effundit.

His obseruationibus subiungitur recensio libri,
cui titulus est: *Experiences physico-méchaniques etc.*
traduites de l'Anglois de Mr. HAUKSBEY par feu M. de
BREMOND etc.

Sequuntur *obseruationes anatomicae*, quarum ^{p. 62.} prima haec est. Ex tumore magno, adhaerenti ad collum infantis, et, dum infans in lucem edebatur, disrupto, effluxerant, praeter magnam sanguinis copiam, plurima frusta cartilaginum atque ossium. Admiratio rei effecit, ut saccus ille, infante post horam mortuo, cultro anatomico subiiceretur. Parietes eius erant ex prolongata cute; in medio reperiebantur ossa, quorum inordinata strues basin cranii male conformatam referebat; prope pedunculum autem, qui saccum cum collo infantis iungebat, corpora haerebant membranosa, teretia, cortorta, aerem inflatum admittentia, paruis intestinis plane similia. Hunc tumorem nutriuerant vasa distincta admodum, quorum alia erant arteriae ex carotide laeva, alia venae ex subclavia sinistra oriundae.

Secunda obseruatio. Virgo, annos nata vnde-
uiginti, iugulabatur febri putrida, in qua effluxus
puris ex aure dextra, cum vehementi capitis dolore,
notabilis visus erat. Post eius obitum instituta
sectio capitis monstrabat in cerebro, cuius substantia
in hémisphaerio dextro flava, et consistentia alte-
rata, apparebat, tumorem cysticum, oui gallinacei
magnitudine, mollem, puris flavi plenum. Dex-
trum os temporis erat cariosum in parte interna
inferiore, et in angulo, quem cum osse petroso
format, caries excauauerat fulcum, per quem ma-
teries purulenta defluxerat in cellulas apophysis
mammillaris, vnde in cavitatem tympani delata,
et per meatum auditorium egressa erat.

Tertia obseruatio. Ex equae ventre cum vermibus expulsi sunt hippolithi permagno numero, in quorum singulorum medio fuit granum plumbi.

Quarta ad historiam naturalem elephantorum spectantia varia tradit ex epistola de elephanto, qui Neapoli alebatur, a Consule gallico, ibidem degenti, scripta. Ratio etiam eum alendi, et regendi, hic descripta legitur.

p. 70. In *quinta Cl. LIEUTAUD* mentionem facit feminae, quae tumorem habuit in ea regione colli, vbi glandula thyreoidea sita est, qui, quum per decem annos exiguus fuisset, et vix molestus, tandem per sex ultimos vitae menses subitaneum incrementum cepit, respirationem molestam reddidit, nullisque topicis, neque aliis remediis cessit. Quam aegram quum repentina mors inter confabulandum cum aequalibus prostrauisset, vedit Vir Cl. in arteria aspera huius feminae sub larynge fluctuans corpus membranosum albido, irregularis figurae, internae superficie arteriae asperae lata basi affixum; in dissesta autem glandula thyreoidea reperit saccum, malum aurantium capientem, aqua limpida tumidum, et praeterea continentem plurimas cystides minores, aquae insipidae plenas, sphaericas; quibus facile, quum leuiter adhaererent, exemit, vedit cartilagini tracheae ea in parte, qua saccus iste ipsis contiguus erat, destruetas, ita ut ibi arteria aspera pertusa esset foramine circulari, cuius diameter dimidium sere pollicem aequabat, et quod hydatides similes istis in sacco contentis, sed vacuae, replebant. Hae corpori isti, in arteria aspera fluctuanti, continuae erant. Effusio liquoris ex his hydatidibus in arteriam asperam caussa repentinae mortis fuisse videtur: nisi forte a corpore illo membranoso, laryngi per vocem, aut ineptam colli posituram, praetenso, subitanea suffocatio effecta est. Vt cunque sit, hoc notatu dignum haec docet obser-

obseruatio, posse vasorum lymphaticorum dilata-
tione cartilagineas destrui, quemadmodum in aneu-
rysmate idem vasorum sanguiferorum expansione
accidit. Ab eodem Cl. LIEUTAUD in alio cada-
uere verus polypus in trachea sub larynge, et in
alio polypus in ipsa larynge deprehensus est.

Sexta obseruatio continet ea, quae Cl. HERIS-
SANT ex anatomia struthiocameli de intestinis eius,
musculis pectoralibus, et sterno notabilia didicit.
Sternum in hac aue multo longius esse affirmat,
quam secundum PERRAULT.

Proximum locum occupat recensio libri de hip-
piatrica, cuius Auctor est LA FOSSE.

Obseruatio chemica vnica hic habetur. Quum p. 86.
vas, in quo cobaltum fuerat repositum, et cuius
orificium charta spissiore et charta tenui te&tum
fuerat post viginti annos aperiretur: in chartae te-
nuis superficie interna videbatur arbusculum, licet
in charta spissa, quae sub tenui fuerat posita, vix
vlla impressio conspici posset.

De re quoque botanica vna tantum obseruatio p. 87.
est in hoc volumine, quae docet, squamas scillae
non esse mera bulbi inuolucra, sed continere ger-
mina, per quae planta multiplicari queat.

Inter machinas atque inuenta, quae Academia Pa- p. 139.
risina approbavit, sunt duo instrumenta, introdu-
cendis in pulmones vaporibus salutaribus apta.

Sub finem Historiae huius anni leguntur *elogia*
Christiani L. S. de WOLFF, Martini FOLKES, Abra-
hami de MOIURE, et Comitis D'ONSENBRAY, cui
magnam nominis celebritatem conciliauerat mu-
seum, a praeparatis anatomicis, singularibus cor-

poribus naturalibus, et praesertim machinis atque instrumentis omnis generis instructissimum, quod ipse Academiae scientiarum Parisiensi testamento legauit.

Pergimus ad ipsos commentarios physicos et mathematicos huius voluminis, quorum est

1) *De variis sententiis super quaestione, an mare glaciale arcticum traiici possit, et de fietâ diuersorum fluminum coniunctione* *. Auctore Cl. BUACHE.

p. 19. 2) *Cl. GUETTARD de stalactitis* **. Postquam Auctor varia de vsu huius vocabuli, eiusque synonymorum (*stalagniae, stiriae*) apud veteres et recentiores auctores annotauit, monet, se hoc nomine compellare omnem materiem, quae ex aqua, in qua p. 24. antea soluta et suspensa fuerat, se precipitauit, et aliquam figuram ordinatam assumfit, siue libere, siue restricta per parietes seu terminos loci, in quo genita est. Quum autem, hac definitione admissa, pateat tot constitui posse species stalactitarum, quot materiae, diuersae naturae, in aqua solui possunt: Auctor de illis tantum stalactitis agere constituit, qui *arenarii* et *calcarii* dici possunt. Et in hoc quidem commentario de solis arenariis exponit, initium capiens ab eis, qui in montibus prope *Stampas* reperiuntur. Hi montes fere toti ex arena compositi sunt, inter quam strata tamen diuersa, parum profunda, extensa sunt. Primum constat humo, secundum vel marga, vel lapidibus calcariis, tertium silice fusco, quartum turbinitis, quintum bolo subnigra, sextum stalactitis, de quibus hic agitur. Quidam habent figuram globi, maiores ex permultis globorum segmentis compositi sunt. Durities eorum varia

* Lectus d. 13 Nouemb. 1754.

** Lectus d. 24 Dec. 1754.

varia est; quidam digitis possunt conteri, sed aeri diu expositi duriores euadunt. Verisimile est, eos in cauis, quae aqua, in montis interiora penetrans, formauit in arenosa montis materia, gigni, dum minima arenae granula, quae secum vehit aqua, ibi praecipitentur, adiuuantibus illorum concretionem particulis argillaceis vel bolaribus, quas aqua de stratis superioribus abrasit, et quae vice glutinis fungi videntur. Similem stalaetitarum genesin Auctor in duabus aliis lapicidinis obseruauit. Attamen glutine illo non omnino opus esse ad formandos stalaetitas, colligit inde, quod illi etiam in locis reperiuntur, vbi montes aliam structuram habent, quam paullo antea descriptam, veluti prope *Bavillam*, vbi in superficie fere terrae nascuntur stalaetitiae, multo maiores istis, qui prope *Stampas* effodiuntur. Quum inter illos occurrant, statuis vel figuris humanis imperfectis aliquatenus similes: occasionem inde arripit Auctor, notandi quosdam historiae naturalis amatores, qui cum ALDROVANDO fossilibus omnem fere pretium statuunt ex similitudine cum animalibus, vel parte aliqua corporis animalis aut humani, quam similitudinem saepissime illis viuida nimis ipsorum phantasia affingit, quique naturam sibi persuadent in formandis istis fossilibus figuram perfectissimorum corporum affectare. Fieri etiam potuisse existimat, ut conspecta in aliquo campo eiusmodi lapidum figuratorum multitudo olim fabulae de satis aevo Deucalionis hominibus originem daret.

3) *Observationes astronomicae in insula Mauritii seu Francica habitae a Cl. de LACAILLE anno 1753**.

4) *Commentarii de stalaetitis pars secunda Auctore Cl. GUETTARD. Hic de stalaetitis calcariis agitur. p. 57.*

Aa 5

Primum

* Leidae d. 11 Maii 1754.

Primum horum lapidum exemplum petit Auctor a rupē, qua tectum est latus montis proxime *Meldas* versus meridiem et orientem solem spectans. In fastigio huius montis est scaturigo aquae. Mons ipse constat ex saxo tenero et molli. Hunc aqua istius fontis, quum olim per declive montis libere dimanaret, videtur soluisse, et ex huius aquae sedimento. temporis progressu, natam esse illam rupem credibile est. Partes huius rupis non sunt continuae, sed multis cauernis et minusculis et maiusculis, interstinctae, in quibus elegantes ramifications, et columnae fere cylindricae, et papillae variarum figurarum, et quidquid in specubus maioribus non nullorum montium non sine admiratione animaduersum est, in paruo cernere licet. Ramifications illae sunt a plantis, per limum, quem aqua praediti fontis generauit, incrustatis, et tantum non omnes sunt intus cauae, quoniam rami plantarum tandem putrefactione destructi sunt. De hac rupe PERRAULT iam scripserat in libro, cui titulum fecit, *de l'origine des fontaines*: sed in eius narratione ac descriptione varia reprehendenda inuenit

- P. 68. Cl. GUEFTARD. Alterum exemplum stalactitarum calcariorum petit e *Monte martyrum* prope Lutecias Parisiorum, vbi stalactitae reperiuntur in fissuris saxorum, ex quibus gypsum paratur. Ex horum saxorum externa superficie efflorescit puluis; et huic pulueri per aquam abrepto, et in fissuras delato, stalactitas illos originem debere existimat. Repugnare quidem huic sententiae videtur, quod hi stalactitae ab aqua forti facile soluantur, licet ipsorum illorum saxorum particulae in aqua forti illaesae persistant: sed respondet Auctor, fieri posse, ut id, quod aqua ex istis saxis secum abstulerit, suo alcali, per quod actionem acidi nitrosi impediri constat, priuetur, posito videlicet, aquam esse acido quodam grauidam, quod sepe in solutione pulueris seu farinae supra memoratae cum sale alcalino huius pulueris

pulueris coniungat, qua coniunctione separatio materiae salinae faxi, a materie eiusdem calcinabili efficiatur. Hanc explicationem per examen chemicum aquae et faxi *montis martyrum*, quod ipse adhuc instituere pollicetur, confirmatum iri confidit. Interim haud negat, simpliciorem explicationem haberi posse ex eo, quod inter saxa huius montis nonnulla strata lapidum calcariorum obseruata sunt, qui ab aqua forti, magna saltim ex parte, solui possunt. Transit hinc ad genus stalactitarum, quod in specubus et antris quorundam montium reperitur, et, quum satis durum sit, ut polituram ferat, eisdemque venis, atque alabastrum, notatum sit, et ad huius naturam prorsus accedat, pro alabastro haberi debet, ideoque ab IMPERATO (Hist. nat. L. 24. cap. 13. 14.) *alabastrum congelatum* dictum est. Verum inde monet, haudquam inferendum esse, quod omne alabastrum sit stalactites, nisi antea demonstretur, alabastrum vbi cunque locorum ex aqua formari eodem modo, quo stalactites, neque ea etiam ratione generari, qua vulgares lapides, quorum ingentes massae in sat magnis stratis reperiuntur. Porro, quia Cl. LINNAEVS stalactitas, quibus alabastrum originem debet, spatosos esse affirmat, spatum autem omne an calcinabile sit, nuper Cl. POTTIVS dubitauit, hac data occasione edisserit Auctor sententiam suam de diuisione alabastri in gypsum et calcarium, nec non spati in vitrescens, gypseum, et calcarium. Ad alabastri diuisiensem quod attinet, natam eam p. 84. esse iudicat ex confusione duarum methodorum, ad genera fossilium constituenda hactenus adhibitarum, quarum altera characteribus sponte in sensus incurritibus contenta est, altera autem docimastice vtitur. Secundum illam methodum alabastri nomen acceperunt lapides marimore paullo molliores, sed polituram tamen admittentes, et semipellucidi;

secun-

secundum hanc vero quidam horum lapidum ad gypsum referendi sunt, quia ab acidis mineralibus non soluuntur, et gypsum ex iis parari potest, quidam autem ad marmora, quum soluantur ab acidis et calcem praebeant vulgarem. At vero quum illa methodus, quam *superficialem* dici posse autumat, ob characteres vagos, et saepe in vno eodemque corpore variantes, cedere huic debeat, ab iis, qui historiam naturalem fossilium accuratius tractare velint, alabastrum, ex quo gypsum parari potest, inter species gypsi iudicat esse referendum, et alterum alabastri genus inter marmoris species. Similiter nomina spati vitrescentis, spati gypsosi, spati alcalini incommoda esse existimat; non enim eidem lapidum generi subiiciendos esse duos lapides, quorum alter vitrificari, alter calcinari possit. Hinc se ait, malleum Cl. LINNAEO spati nomen solis illis sic dictorum fossilium proprium facere, quae, calcem praebeant, reliqua autem ad alia genera referre, simul ac certum sit, ea proprietatibus essentialibus aliis praedita esse, vel etiam noua ipsis nomina imponere, si ad genera iam denominata reduci nequeant. Sic spatum, quod vitrescens a Cl. WOLTERSDORFIO dictum est, inter fluores cendum putat, spatum vero gypsosum ad gypsum, et bituminosum odoriferum ad bitumina alegandum esse. His disputatis,
p. 92. concludit tandem, stalactiten spatosum reuera ex spato constare, sed ex spato calcinabili, et cuius crystallisatio, si ea regularis sit, formam acuum pyramidalium affectet.

§) *Diuersae obseruationes, quas in tribus nauigationibus in promontorium Bonae Spei, in insulam Francicam, et in insulam Borboniam habuit Cl. de LACAILLE *.* Inter has obseruationes sunt aliquae, ad forum nostrum pertinentes. Miram Vir Cl. diffe-

* Lectione d. 26 Febr. 1755.

differentiam obseruauit inter inclinationem eiusdem extremitatis acus magneticae, quando septentrionibus, et quando meridiei obuertebatur in omnibus locis vltra duodecimum gradum latitudinis australis sitis, seu in quibus inclinatio acus contraria deprehendebatur illi, quam in nostris regionibus habet; namque in latitudine australi 12 graduum et longitudine occidentali 34 graduum (inde a meridiano Parisiorum numerata) inclinatio erat nulla. Scilicet p. 95. in quolibet illorum locorum quum extremitas acus, quae per se versus septentriones spectat, meridiei obuertebatur, inclinatio eius 1, 2, vel nonnunquam, 3 gradibus maior deprehendebatur in hoc situ quam in priori; id quod in nostris regionibus non accidit. Culpam huins diuersitatis neque in finistram constructionem instrumenti, neque in obseruandi difficultatem potest coniicere. Quia autem Cl. DANIEL BERNOVLLI existimauit, culpam in vitio instrumenti latere: examen instrumenti sui Cl. de LA CAILLE secundum praecepta BERNOVLLII instituit, et hic descripsit, ut harum rerum intelligentes de fide, quam obseruationes suae mereantur, possent iudicare. In insula *Francica* est species vespertilio p. 114. num, qui felis bimestris magnitudinem habent: hos in mensis apponunt, ob gratum saporem, quem iuscuso, in quo coquuntur, conciliant. Serpentes in hac insula non viuere posse dicuntur.

6) *Commentarii de stalactitis pars tertia, in qua stalactitarum calciorum descriptio continuatur a Cl. GUETTARD.* Plurimi hic recensentur et describuntur stalactitae calcarii, quorum plerique naturam spati habent, partim e diuersorum montium cauernis vel specubus eruti, partim in alueis aquarum fluentium, vel receptaculis stagnantium nati. Singularia in his singulis lapidibus Auctor accurate notat et explicat. Occurrit inter eos etiam *flos ferri vulgo*

p. 154. vulgo sic dictus, in metallis ferrariis Stiriae primum repertus, de quo varias scriptorum sententias enarrat, suamque sic exponit, ut dicat, eum esse stalactitem ex spato filamentoso constantem.

7) *Operationes iussu Academiae eo fine institutae, ut decidatur quaestio, quanam inter diuersas mensuras gradus meridiani in vicinia Lutetiae ceteris sit praeferranda, per Viros Cl. FOUGUER, CAMUS, CASSINI DE THURY, et PINGRE **.

p. 187. 8) *História anatomica lienis. Commentarius primus Cl. de LA SONE **. Fraemissa breui historia laborum, quos MALPIGHIVS ac RVYSCHIVS anatomiae lienis impenderunt, Auctor initium disquisitionis suae capit a volumine huius visceris.*

p. 192. Id nonnunquam valde exiguum, interdum autem enorme, sine status morbosí indiciis, reperit. Hinc non veretur Cl. LIEUTAUD accedere, et magnitudinem lienis, quippe quae a plenitudine vel vacuitate ventriculi pendeat, determinari non posse

p. 194. censet. Tunicae etiam, lienem vestientis, indoles variat: in homine tamen sano vt plurimum subtilis et fatis elastica deprehensa est; in bouis, aliorumque quadrupedum liene crassior est illa tunica, et facile appareat composita e duabus laminis per telam cellulofam iunctis. Quas duas laminas Cl. de LA SONE lieni quoque hominis hic vindicat. In lamina interna etiam plana fibrarum carnearum nonnunquam, et quadam adhibita praeparatione, vidit, quae plana in lienis bouini tunica sponte se oculis fistunt. Haec lamina non solum arête cingit substantiam lienis, sed ei etiam in permultis punctis sic adhaeret, ut ex illis punctis adhaesionis filaments subtilia in visceris interiora penetrent, quae aliquod quasi

* L. d. 23 Mart. 1757.

** L. d. 14 Nouemb. 1753.

quasi rete inter se inuicem formant. Haec autem filaments Cl. Autori non esse videntur vasa capillaria, sed fibrillae destinatae ramificationibus vasorum et substantiae pulposae sustentandis atque alligandis.

Neque tamen assentiri potest MALPIGHIO, qui p. 196. has fibrillas pro muscularibus habet. Notabilis est p. 204. differentia inter structuram lienis vitulini vel veruecini, et lienis in homine aliisque nonnullis animantibus structuram. Hunc vasa splenica intrant per plures truncos, illum per vnum; in illo arteria, ubi viscus intrat, eiusque ramifications singulae vestiuntur vagina seu capsula peculiari, quae tunicas crassiores reddit, in hoc tunicae arteriae manent, quales erant ante insertionem; in illo vena mox mutatur in canalem singularem, depositis omnibus fere inuolucris suis, et hic canalis in multos quasi sinus diuiditur, qui tandem in cavitates vix visibles degenerant, in hoc autem vena characterem suum et figuram retinet; in illo tunica est crassa, et in duas laminas manifesto separabilis, in hoc subtilis, et non semper e laminis composita appareat; in illo denique ex interiori lamina tunicae filia exeunt crassa, alba, elastica, ligamentosa, quae diuisa in ramos se adiungant aliis similibus, et iterum iterumque subdiuisa tandem ad tunicas vasorum spleniconrum firmiter adhaerent, in liene autem hominis haec fila deficiant. Ea fila Autor coniicit in illis lienibus, quos arteria aequa ac vena in trunco uno intrat, originem debere tunicis, quas vena, dum in canalem et sinus venosos mutatur, deponit. Hinc etiam esse putat capsulam arteriae splenicae, quam tamen non nisi dimidium truncum arteriae recipere et vestire tradit. Deinceps, quid de valvis lymphaticis lienis diuersi Anatomici senserint, exponit, atque ea lieni hominis negari non posse, licet non magno numero in ipso reperiantur, affirmat. Ramificationes ultimae arteriae splenicae aut

aut abeunt in substantiam pulposam, aut cum ea substantia confunduntur, quam parenchyma quidem cum veteribus dicere licebit, sed non in proprio vocabuli significatu, quamuis **M A L P I G H I V S** hunc significatum tueri susceperit. Non enim esse sanguinem extrausatum et coagulatum Cl. Author hoc loco euincit, sed substantiam organicam. Globulos illos seu vesiculas, quas **M A L P I G H I V S** huic substantiae tribuerat, et glandulas simplices appellauebat, in multis quidem lienibus tam sine praeparatione, quam post praeparationem in aqua ebulliente, examinatis, non vidit, in nonnullis tamen magnam harum glandularum copiam vtroque modo depre-

p. 212. hendit; neque huius diuersitatis caussam a statu visceris morboſo vel ſano pendere autumat. Hinc aliquamdiū haefitauit, vtrum **M A L P I G H I I** ſententia, an eorum, qui cum **R V Y S C H I O** ſubstantiam lienis pulposam totam vafculofam dicunt, amplectenda sit. Sed diligentius perpensa et adhibita methodo **M A L P I G H I I**, quae diuturnam fatis macerationem lienis in aqua requirit, glandulas illas simplices seu folliculos fere ſemper conſpexit, ideoque a **M A L P I G H I I** partibus hac in re ſtare non vereatur. Praeterea quae contra hanc ſententiam **R V Y S C H I V S** protulit argumenta, inualida iudicat, quoniam propriis didicit experimentis, iniectam methodo *Ruyſchiana* materiem neutiquam in pulposam lienis ſubstantiam penetrare. Insuper grauibus, quas hic affert, rationibus adductus negat in uniuersum, praeparationem *Ruyſchianam* aptum esse medium, ad cognitionem perfectam tam teneri visceris perueniendi. Accedit denique ad confiderandam litem Anatomicorum de cellulis lienis; et postquam diuersas earum notiones, quae veteribus ante **M A L P I G H I V M**, ipſi **M A L P I G H I O**, et deinceps **W I N S L O V I O** fuerunt, enarravit, affirmat, innatione lienis, per incisionem, in superficie substan-

substantiae eius factam, manifesto existentiam cellularum in hoc viscere, inter quas omnes liberum sit viarum commercium, et praeterea communicationem harum cellularum cum venis splenicis demonstrari, easque ergo cellulas sibi nil aliud esse videri, quam extremos sinus venosos, qui tanquam p. 227.
 singulares appendices ultimorum rāmolorum venae splenicae appareant, destinatae recipiendo ab arteriis capillaribus peculiari liquori. Quod autem parietes harum cellularum attinet, eos membranosos cum MALPIGHIO vocare veretur, cui imposuisse vide- p. 229.
 tur eorum in liene post inflationem exsiccato appa-
 rentia; quotiescumque enim ipse Vir Cl. lienem recentem transuersim sectum in aqua macerauit,
 leniter illo aliquoties compresso, omne istud textum cellulosum, fusum quasi, disparuit, nullis eius vestigiis remanentibus. Quamobrem parietes cel-
 lularum pulposos esse statuit. De aliis ad cognitio-
 nem lienis pertinentibus rebus, quae supersunt,
 in posterum se acturum esse, spem nobis pergra-
 tam facit.

9) *De longitudine geographica abbathiae S. Mat-* p. 237.
*thaei per Cl. de THYRY **.

10) *De alabastro commentarius Cl. DAUBEN-
 TON **.* Vir Cl. sumta occasione ab alabastro,
 quod ex specubus Arciensibus, (quibus nomen est a
 villa Arcio (Arcy), inter Antissiodorum et Aballonem,
 vrbes Burgundiae, sita in capite montis, hos memora-
 biles specus continentis) secum abstulerat, constituit
 definire atque explicare naturam et formationem
 eius, quod calcarium dicit, alabastri. Namque et
 calcariam alabastrum speciem dari contra Cl. POTTIVM
 affirmat.

* L. d. 16 Mart. 1754.

** L. d. 23 Aug. 1754.

affirmat. Quod agens, simul stalactitarum genesin explicare annititur.

11) *De directione filorum, ex quibus pondera suspensa*
 p. 250. *sunt Auctore Cl. BOUGUER* *. Ex obseruatione motus cuiusdam ponderum, e filis praelongis pendulorum, nonnulli in opinionem inciderunt, directionem grauium in superficie telluris variationi notabili subiectam esse. Hanc opinionem BOUGUER per experimenta accurate a se instituta hic refellit, et istum motum caussis accidentalibus, atque ad systema cosmicum nequaquam pertinentibus, veluti calori aeris etc. attribuendum esse ostendit.

12) *De osteocolla prope Stampas reperiunda commentatio* Cl. GUETTARD **. Verisimillima est explicatio ortus huius fossilis, quam Vir Cl. hic proponit. Natam esse, ait, hanc osteocollam in locis olim paludosis, et plantas aquaticas alentibus, dum caules et scapi earum incrustati fuerint materie, ex marga et arena constante, quam torrentes aquae pluiae, vel fluuii ripas suas transgressi, de montibus aduexerint, ibique deposuerint. Qua explicatione multis argumentis confirmata, atque exemplis variis illustrata, colligit etiam quidquid omnes fere, qui de osteocolla inde ab ERASTO, Medico Heidelbergensi seculi decimi sexti, vsque ad Cl. GLEDITSCHI scripserunt, de fossilis huius natura ac genesi annotarunt, et quorundam, maxime vero Cl. GLEDITSCHI, sententiis criticas suas obseruationes subiungit. Tandem attingit quaestionem, ad quodnam fossarium genus osteocolla referenda sit; et respondet, quum osteocolla, ex mente sua, pro stalactite margaceo habenda sit, locum illi assignandum esse sub genere, quod marga appellatur, et defi-

* L. d. 28 Apr. 1756.

** L. d. 15 Iunii 1754.

definiendam esse osteocollam per margam super quo quis corpore figurato depositam, species autem osteocollae secundum diuersas figuræ constitui posse.

13) *Tabulae locorum Iouis Saturni ac Soli oppositorum, in specula astronomica regia ab anno 1733 ad annum 1755 obseruatorum, una cum commentario de obseruationibus, ex quibus hæ tabulae computatae sunt*
Autore Cl. LE GENTIL.

14) *Variae obseruationes oeconomicae de apibus per Cl. DU HAMEL **. In hac scriptione nouae P. 331. traduntur methodi, vsu iam comprobatae, per quas vitae apum et soboli magis parcitur, examina melius coguntur et seruantur, multoque largior cerae ac mellis vindemia, quam vulgata ratione, obtinetur.

15) Cl. BOUGUER *solutions praecipuorum problematum de nauium gubernatione.*

16) *Obseruationes anatomicae de corde. Commentarius tertius Cl. LIEUTAUD, in quo auriculae, foramen ouale, et canalis arteriosus describuntur **. Auri-
cula prima cordis (h. e. quam venae cauae intrant***,
directionem habet verticalem, et eius capacitas
quam secundae maior est: sed rationem inter capa. P. 369.
citates auricularum et ventriculorum cordis accu-
rate definire velle, frustraneum laborem iudicat Cl.
LIEUTAUD. Ambas venas cauas, quanquam primo
intuitu sibi mutuo occurrere videantur, tamen
vere continuas dici posse negat, ob habitum et
crassitatem canalis intermedii. Figuram auriculae
prima mente reducit ad rectangulum oblongum.
Tres cavitates in ea distinguit, quarum prima est p. 371.*

Bb 2 appen-

* L. d. 21 Apr. 1754.

** L. d. 21 Aug. 1745.

*** Vid. Comment. nostr. Vol. VI. p. 670.

appendix in supremo angulo sinistro, secunda est in angulo inferiori sinistro, in qua vena coronaria se terminat, et quae in nonnullis cordibus tam profunda est, ut pro appendice haberri queat, tertia est orificium foraminis oualis in fundo auriculae inter ambarum venarum cauarum oricia, quod orificium in adultis etiam euidenter appetet. Valuulae venae coronariae et cavae inferioris in eadem auricula plerumque manifestae sunt, atque etiamsi ipsae destruetae sint, tamen vestigia earum haud difficulter cognoscuntur. Valuula semilunaris venae coronariae, quae sese, praeter morem aliarum valuularum, opponit cursui sanguinis, eamque retardat; unde facile perspicitur, cur haec valuula, ceu foetui tantum utilis, aetatis progressu destruantur, ut saepe nihil eius, praeter fila aliquot fluctuantia, remaneat. Valuula cavae venae inferioris, quae interdum et in adultis supereft, etsi ab **EUSTACHIO** cognomen traxit, in ipsius tamen tabulis

p. 372. male delineata dicitur. Situs eius in cadauere quidem est oblique transuersus respectu axis venae; cuspis eius laeva, quae altior est dextra, sese supra eminentiam sinistri marginis foraminis oualis extendet, dextra parti orificii venae cavae, a corde remotissimae, alligata est: In viuo autem foetu valuula haec eandem cum vena directionem habet, et quasi agger est membranosus, quo sanguis cogitur in foramen ouale influere. Quanquam autem membranosam Auctor appellat hanc valuulam, tamen non negat, stratum fibrarum musculosarum inter duas eius laminas comprehendendi. Si quando in adultis adhuc comparet, tantum non semper foraminibus pertusa cernitur, nonnunquam etiam eius loco tantum filamenta quaedam, vel simplicia, vel in retis modum contexta conspicuntur. Cuius

p. 374. rei hanc perhibet rationem, quod continuo sanguinis, versus

versus cordis ventriculum nunc fluentis, impulsu et
 frictione haec subtilis membrana attenuatur, et
 tandem pertunditur ac laceratur. Evidem huic
 explicationi aduersari videtur, quod interdum fila-
 menta illa, quae putat esse a dilaceratione valuulae
 residua, alteris suis extremitatibus in regionibus
 auriculae, ab orificio venae cauae remotis, infixae
 deprehendantur: respondet autem, haec fila, ab
 initio fluctuantia, postea se suis extremis liberis ad
 parietes auriculae applicuisse, et hunc contactum
 succedente tempore in firmam adhaesionem et con-
 tinuitatem mutatum esse. Idem quoque valuulae
 venae coronariae accidere affirmat. At vero cum
 his filamentis non confundenda esse, monet, fila,
 quae a margine venae cauae ad orificium venae
 coronariae pertingere obseruantur; haec enim fila P. 375.
 statim ab initio in hoc situ nata esse, quum cuspis
 dextra valuulae venae coronariae cornui sinistro
 valuulae EVSTACHII affixa saepe reperiatur. Val-
 uula EVSTACHII ut facilius demonstretur, enchi-
 reses quedam adhibendae sunt, quas Auctor hoc
 loco tradit; eosque, qui hanc valuulam duplarem
 dixerunt, deceptos putat plicis, quae circa eam
 facile formantur, si ea minus dextre tractetur. Au-
 riculae secundae pars posterior, et septo vicina,
 crassior est parietibus auriculae primae, reliqua
 autem pars et appendix eandem cum prima
 auricula crassitatem habent, et lacertulos similiter
 fere dispositos. Appendicem existimat formatam
 esse per expansionem parietis auriculae ab impulsu
 continuo sanguinis e venis pulmonaribus sinistris
 erumpentis; quemadmodum et auriculae primae
 appendix sanguini e vena caua inferiori irruenti ori-
 ginem debere videtur. Modum, quo foramen P. 379.
 ouale obliteratur, sic explicat. Vbi venae pulmo-
 nales tantam copiam sanguinis in auriculam secun-
 dam effundunt, quanta ad aequilibrium cum

sanguine in primam ingestu requiritur, valuula foraminis oualis nanciscitur situm septo parallelum, et sese ad partes prominentes septi, quascunque contingit, applicat, et, quoniam ob pressionem sanguinis ex vtraque eius parte contrariam atque aeqalem in hoc situ quiescit, adhaeret istis partibus, tandemque adnascitur, pro more partium solidarum et mollium corporis viui, quae, vbi sat diu in contactu mutuo perseuerant, tandem vniuntur et concrescunt. Mechanismum denique, quo canalis arteriosus post natuitatem clauditur, ita exponit. Bronchiis per aerem in pulmones irruentem extensis ac dilatatis, primae eorum diuisiones, cordi ex altera parte innixae, ex altera versus aortam accedant, et ad eam se applicent, necesse est. Hinc etiam canalis arteriosus, qui ad latus aortae anterius versus iacet, ac directionem habet ipsi fere parallelam, totus comprimitur perpetuo, in ipsa quoque exspiratione, quoniam bronchia nunquam aere prorsus vacua sunt. Sanguini ergo non amplius tam liber, quam antea, transitus per hunc canalem conceditur. Praeterea propter dilatationem ramorum arteriae pulmonalis, quae pulmonum explicationem consequitur, aliquid sanguinis huic canali subtrahitur, quod nunc in arteria pulmonali, vbi minorem resistentiam offendit, progradientur. Insuper extensio arcus aortae, qui bronchiorum dilatatione amplior redditur, eiusque per tracheae dilatationem facta promotio sinistrorum versus canalem arteriosum, nouum sanguinis cursum adiuuant et dirigunt. Sic canalis ille coarctatus successive, et vacuefactus, tandem consolidatur.

17) Cl. de L'ISLE obseruatio occultationis stellae ξ aquarii a luna, et coniunctionis stellae θ cum luna,
die 21 Nouembris 1754.

18) Cl.

18) Cl. du Hamel *obseruationes botanico-meteorologicae anno 1753 habitae prope Pluuerium in prouincia Vastiniensi* *.

19) Cl. d' A L E M B E R T *inuestigatio praecessionis aequinoctiorum, et nutationis axis telluris, in hypothesi meridianorum terrestrium dissimilium* **.

20) *Noua inquisitio in formationem gingiuarum, et laminae vitreae dentium.* *Auctore Cl. HERISSANT ***.*
Secundum haec noua reperta Viri Cl. gingiuia datur p. 431.
duplex, altera *temporaria*, altera *permanens*. Illa
spissa et coriacea inuestit maxillae omnem partem,
in qua sunt alueoli, et hos perfecte claudit, haec
autem est illius ac periostei produc^{tio}. Folliculus
seu sacculus membranaceus, in quo dens, antequam
ex alueolo prorumpit, absconditus latet, est pariter
produc^{tio} gingiuae temporariae, et toti quidem
superficiei coronae dentis adhaeret, maxime autem
confiniis coronae et radicis. Vbi dens satis firmus
euasit, vt in lucem possit prodire, orificium illius
folliculi, quod ad aperturam alueoli spectat, insen-
sibiliter dilatatur, fundusque paullatim versus
aperturam alueoli attollitur, donec tota corona
supra marginem aperturae alueoli emineat; et dum
haec fiunt, folliculus sese extrorsum explicat super
maxilla', et gingiuam permanentem format; dens
autem ipse continuata pressione rumpit et perforat
gingiuam temporariam, ex qua, simulac perforata
est, fragmenta seu laciniae secedunt, quibus delapsis,
recens gingiuam permanens, quae se rubicundo
colore, et minori tenacitate, ab altera gingiuia
distinguit, in conspectum datur. Idem ille folli- p. 433.
culus, cuius crassities cum dente crescit, in super-

* L. d. 12 Janii 1754.

** L. mense Decembri 1756.

*** L. d. 13 Nouemb. 1754.

ficie sua interiori, qua dentem contingit, tunc, quumi dentis corona perfecte formata est, infinitam habet multitudinem vesicularum pellucidarum, quae in seriebus belle ordinatis dispositae sunt, et liquorēm limpidissimum, si obseruatio haec iusto tempore instituatur, continent; nam paullo post hic liquor spissior et laetus euadit. Huncce liquorem Cl. HERISSANT coniicit gignere laminam vitream dentis, dum ipse in secessione supra descripta folliculi a superficie dentis guttatum e vesiculis istis expressus, circumfluat dentis nudatam modo superficiem, atque in solidissimum corpus abeat, coronae dentis firmissime adhaerens. Ista autem vesiculas optime in dentibus nascentibus vitulorum vel pullorum per lentem microscopicam conspici, lectorem monet.

- 21) Cl. GUETTARD *commentarius, in quo generatim examinantur solum, lapides et varia fossilia in Campania Gallica, et quibusdam adiacentium prouinciarum locis* *. Hoc commentario V. Cl. prosequitur suum institutum, historiam mineralogicam Galliae perficiendi. Nobis ex hac longiori dissertatione pauca annotasse suffecerit. In monte Campaniae,
 p. 448. *Beru* dicto, reperitur crystalli *Islandicae* species in strato arenae nigrae. *Trecis* pigmentum album (*blanc de Troyes*), a nonnullis pigmentum album
 p. 468. *Hispanicum* (*blanc d'Espagne*) perperam vocatum, paratur ex creta, quae in villa vicina *Villeloup* proxime sub humo reperitur; quod parandi modus
 p. 458. hic exakte describitur. In territorio *Remensi* multa admodum genera conchyliorum in lapide arenario
 p. 474. lutei coloris, et haud procul a *Trecis* cornua Ammonis cum aliis corporibus marinis in terra argillacea nigra reperiuntur, quorum superficies est splendide flava, a particulis forsitan sulphureis, inquit Au^ror,

* L. d. 3 Iulii 1754.

Auctor, quae cum hac terra permixtae sunt. Prope Grandipratum et in pago Molesmieni effodiuntur corpora marina, ad classem coralliorum pertinentia, maxime astroitae, et madreporeae, in lapidibus albis calcariis delitescientia.

22) *Historia morborum epidemiorum anno 1754 Lutetiae obseruatorum, cum temperie aeris per Cl. MALOUIN **. Tres primi menses huius anni fuerunt siccioris temperiei. Maximum frigus fuit octauo Februarii, quo die liquor thermometri *Reaumuriani* descendit ad $11\frac{3}{4}$ gradum. Multi subito mortui sunt, praesertim senes. Mense Martio epidemica erat pleuritis gangraenosa cum conatibus vomendi, quae aegros paucis diebus necabat. Per emetica bilis nulla eiiciebatur; pulsus erat constrictus; tussis nulla, vel parca. Venae sectiones parum iuuabant aegros, bechicā nihil, diluentia autem et purgantia utilissime adhibebantur.

Vere temperies aeris sicca fuit. Scorbuto permulti infestati sunt. Singularis est Cl. MALOVINI obseruatio haec. Puella, tredecim annos nata, p. 505. quae cum alia, ob variolas decumbente, familiariter viuebat, dolorem capitis ac renum, languorem, et anxietatem praecordiorum queri cooperat, et simul humorem biliosum ex ore et aluo reddere. Ipse confessim illam ἀνατίπησε purgabat, non quidem violenter, sed tamen sine intermissione, usque ad quartum diem, quo pustulae in cute erumpabant, ab omnibus pro variolis agnitae. Ille adhuc purgans remedium administrabat, quemadmodum id in morbo cutis a vitiosis humoribus facere solet. Hinc eruptio pustularum cessabat, et porro aegra per aliquot dies tanquam conualescens tractabatur. Deinde eam optime valuisse ait, et sic melius cum ea actum fuisse, quam si variolae ipsi

Bb 5

per

* L. d. 8 Febr. 1757.

per infestationem fuissent communicatae; quum humores variolosi in hac puella eo ipso tempore, quo natura eos moucret, euacuati fuerint. Simili casu hanc sententiam confirmare studet, feminae nimirum, 30 annos natae, in qua variolae quarto ab eruptione die subito per animi commotiones retrorpulsae disparuerant; hanc maximis anxietatibus fere oppressam emeticum, cordialibus iunctum, clysmata et purgationes releuarunt; et posthac eadem femina, licet iam aliquotanni elapsi sint, neque variolis iterum, neque alio morbo correpta est.

Aestatis admodum calidae initium humidum, finis siccus fuit. Liquor in thermometro ad 30 gradum ascendit.

Autumnus siccus magis, quam humidus dici potuit. Multi hac tempestate aegrotarunt febribus continuis, vel eruptionibus in cute, vel faucium morbis.

Annus hic inter siccios numerandus fuit, quum altitudo pluviae non nisi 14^{II} 7^{III} deprehensa sit. Mortui sunt hoc anno Lutetiae 21337, scilicet males 11851, feminae 9486. Nati autem sunt infantes 23140, masculini sexus 11624, feminini 11516.

23) Cl. CLAIRAUT Commentarius de orbita apparente Solis circa tellurem, quae ipsi, habita ratione perturbationum a luna et planetis primariis, assignanda est *.

24) Cl. DE L'ISLE determinatio longitudinis geographicæ insulae Maderæ etc. **

25) Cl.

* L. die 9 Iulii 1757.

** L. d. 27 Nou. 1754.

25) Cl. ROUELLE *commentatio de salibus neutrīs*,
in quā duae nouae classes huiusmodi salium, et phaeno-
menon singulare excessus acidi in illis ostenduntur. *Sa-*
lem neutrūm Vir Cl. appellat, qui formatus est e
materia qualicunque, quacum acidum est vnitum
in forma concreta seu solida. Horum salium tres
classes constituit, quarum primam occupant *per-*
fecta salia neutra, quae iūstam quantitatē acidi ad p. 573.
exactum usque punctum saturationis habet, et gra-
dum solubilitatis mediocrem, velut tartarus vitrio-
latus, sal mirabile **G L A V B E R I**, cet; alteram *salia*
neutra cum minimo acido, quae sunt insolubilia, aut
saltim perparum solubilia; tertiam denique *salia*
neutra cum abundante acido, in quibus iusto maior
quantitas acidi inest, ita ut acidum, quod punctum
saturationis excedit, intime cohaereat et coniunctum
sit cum reliquis partibus, non autem tantum illis
permistum sit. Huius postremae classis salia perfa-
cile inquit Auctor, soluuntur, comparata cum eis,
quae ex eadem basi cum minimo acido formantur,
adeo ut plurima eorum etiam in aere deliquescent.
Jam eorum salium, quae ad secundam et tertiam
classem pertinent, distinctionem a salibus neutrīs
perfectis necessariam esse, et ad Chemiae perfectio-
nem utilem, docere allaborat per aliquot exempla.
Scilicet considerat ea salia, quae fiunt combinando
acidum salis marini cum mercurio, *acidum vitriolicum*,
cum mercurio, *acidum salis marini cum regulo antimonii*,
acidum nitri cum bismuto, et *acidum vitriolicum cum alcali fixo.* Ut mentem
Cl. Viri magis declaremus, vnum alterumue exem-
plum hic exponere lubet. Acidum salis marini p. 576.
cum mercurio vnitum non solum mercurium subli-
matum corrosiuū suppeditat, sed etiam mercurium
dulcem sublimatum. Ille est sal neuter cum exce-
dente acido, et propterea quatuor eius partes pos-
funt adhuc tres partes mercurii crudi soluere, qua
ipsa

ipsa solutione mercurium dulcem prodire constat. Et acidum in mercurio sublimato corrosuo abundans non duntaxat mixtum, sed intime vnitum esse cum mercurio, ex eo, quod simul sublimentur, colligit Auctor. Denique eandem facillime solubilem esse, notum est. Mercurius contra dulcis longe aliam naturam habet, non solum si vires, sed etiam si solubilitatem spectes, quippe qui tam difficulter solubilis est, vt, secundum experimentum Auctoris, 1100 partes aquae feruentis ad solutionem suam requirat. Est ergo sal quidem medius, sed ab isto distinguendus; vnde salis neutrius cum minimo acido, vel *insolubilis*, nomen ipsi conuenire, Auctor iudicat. Similiter omnes fere materias metallicas cum quolibet acido affirmat simul praebere duplicis generis salia neutra. Idem de alcali fixo et acido vitriolico ostendere voluit exemplo postremo. Quatuor vncias tartari vitriolati, siccissimi, in puluerem redacti, cum duabus vnciis olei vitrioli vulgaris quidem, sed boni tamen, commiscuit; quod non sine effervescentia factum est. Mixtum igne reuerberii tractauit, et liquorem inde distillauit, donec vapores albi cessarent. Liquor destillatus pondere sex drachmas effecit, massa salina fusa in fundo retortae residua quinque vncias cum una drachma. Haec massa, Auctor ait, ex aere aquam attrahit, soluta in aqua crystallos praebet, ac cum alcalinis et fixis, et volatilibus, effervescit, tinturaeque violarum rubrum colorem conciliat, aliasque habet proprietates, quibus a tartaro vitriolato distinguitur; sed eas Cl. Auctor alia commentatione est expositurus.

26) *Observatio transitus Mercurii per Solem in nodo adscendendi die 6^{ti} Maii 1753; una cum methodo, hinc ducendi orbitae elementa Auctore Cl. LE FRANÇOIS DE LA LANDE **.

27) *Cl.*

* L. d. 19 Maii. 1753.

27) *Cl. DE PARCIEUX* *commentatio*, qua demonstratur, aquam fluentem, quae machinae cuius, veluti molendino, aliue, agitandae destinatur, semper plus efficere per pondus suum, quam per impulsum, agendo, et rotam fitulis instructam, quae lente circum agatur, plus efficere, quam si celeriter circum agatur, habito ad celeritatem et copiam aquae, respectu *.

28) *Cl. DE LA CONDAMINE* *commentatio de infestatione variolarum* **. Elegans haec commentatio, in qua historia infestationis variolarum et fatorum, quae haec praxis experta est, copiose et accurate traditur, atque omnes criminationes vel dubitationes, quas hactenus multi eidem opposuerunt partim medicis, partim ethicis argumentis, partim religionis praetextu usi, solide refutantur; et a nobis olim iam *** laudata, et, quum in *Promtuario Hamburgenſi* in germanicam linguam translata habeatur, nimis nota est nostris hominibus, quam ut plura de ea hoc loco dicere opus sit.

29) *Cl. DE PARCIEUX* *commentarius de experimen- to, quo demonstratur, rotam fitulis instructam, ab aquae copia eadem agitatum, eo plus posse, quo lentius circum agatur* ****.

30) *Equitis D'ARCY meditationes de machinis hydraulicis* †.

31) *Observationes meteorologicae in specula astronomica regia anno 1754 habitae à Cl. DE FOUCHY.*

32) *Cl.*

* Lecta in conuentu publico paschali an. 1753.

** Lecta in conuentu publico an. 1754 d. 24 April.

*** Vid. nostr. Comment. Vol. IV. p. 159.

**** Lectus d. 31 Aug. 1754.

† Lectae d. 14 Iunii 1755.

32) Cl. MONTE commentatio de panniculis,
prope montem pessulanum paratis, ex quibus Belgae
Tornam solis fabricantur. In dioecesi Nemausensi est
villa, Grand - galargues dicta, quinque leucas a
Montepessulano distans, vbi panniculi e cannabinis
filis texti tinguntur succo plantae, quam incolae
p. 688. maurelle vocant, TOURNEFORTIVS autem Rici-
noidem, et LINNAEVIS croton foliis rhombis repa-
ndis, capsulis pendulis, caule herbaceo appellauit. His
panniculis tintis vtuntur Amstelodami ad fabrican-
dum pigmentum coeruleum, Torne Solis nomine
notum. Modus istos panniculos tingendi in hac
commentatione describitur.

II.

Vsus opii salubris et noxius in morborum me-
dela, solidis et certis principiis superstructus,
a D. BALTHASARE LUDOVICO TRA-
LES, Medico Vratisl. atque Academ. Caesar.
Nat. Cur. Adiuncto. Sectio Tertia. Vratis-
laviae. Sumptibus Ioannis Ernesti Meyeri,
1760. 4. Alph. I pl. 13.

Non absque voluptate Lectoribus nostris elegan-
tissimi istius de opio continuati operis, vtili-
tate sua nunquam destituti, summam exhibemus,
cuius finem rerum harum gnari aude adhuc ex-
pectarunt omnes. Verum citra voluntatem, iste
labor ita increuit, vt promissis, quae in secunda
sektione dederat Noster, stare nunc non posset, sed
quartam, vltimam tamen, de eodem argumento
superaddere quasi cogeretur. Excusat vero Nostrum
rerum copia, excusat argumenti dignitas; cuius
demum finem eo maiori desiderio nosmet ipsi ex-
pectamus, quo perfectius hoc opus aestimari debeat.

Quod

Quod ad tertiam hanc sectionem spectat, ab initio statim, ante quam ipsum opus aggreditur, Noster quaedam praefixit, quae vel auctiora vel magis emendata prioribus, sectione prima et secunda expositis, addi iubet. Ipsum vero opus tribus absoluuitur capitibus, quorum primum conuulsiones et epilepsiam, alterum conuulsuos morbos, tertiumque demum dysenteriam aliosque fluxus alui recentet, causas eorum disquirit insimulque ostendit, quid opii usus varie in iisdem praestare valeat.

Num ad consopiendas vel et curandas conuulsiones opium aptum remedium sit, primo hic disquiritur. Sunt autem omnes conuulsiones violentae et inuitae muscularum animalium contractiones, quarum causae potiores ad tres classes, repletionem nimirum, inanitionem et irritationem reduci poterunt. Ad primae classis causas referuntur plethora, febris, inflammatio, spissitudo sanguinis, cruditates in primis viis coaceruatae, serum abundans, excretionum sanguinearum et serofarum suppressio idque genus alia. Quodsi nunc ab his causis conuulsiones natae sint, omne id remedium dabit, quod expansionem fluidorum et repletionem minuit; hinc venaefactio, diluentia, attenuantia, refrigerantia et euacuantia atque cuncta, quae deriuationem excitant, conueniunt. Cum autem opium humores in grauiores commotiones rapiat, eosdem expandat et repletionem ideo vel inducat, vel augeat, istud proinde ad curationem nunquam exhiberi potest. Forte vero, conuulsiones ab inanitione p. 10. ortae, cum causae prioribus contrariae hic sint, opio curari possunt? Certe, si huius generis conuulsiones perpenderis, vnicam spem in replentibus et, quae succos sanis similes restituunt, ponendam esse, videbis. Quid itaque opium, licet expandat humores et rarefaciat, praestare hic valeret? Nonne ad breue tantum tempus hacce ratione palliativa obtinere-

obtineretur curatio? Maioris momenti videtur obiectio, si dicant, mederi opium conuulsionibus ab inanitione ortis, excretiones compescendo, cum, has eo sopiri, notum sit. Sed haec etiam non absque omni restrictione vera sunt. Nunquam enim conuenit opium, si haemorrhagiae causam suppeditant, nec etiam, vbi aliae fluxiones, opio minime obedientes, conuulsionibus ortum praebent. Ita opium nec sudores leuat, nec diabeten tollit, nec venerem, nec spermatis excretiones inuoluntarias refraenat, sed potius auget. Si vero aliquid in compescendis excretionibus opium potest, id certe in emesi nimia nimiaque deiectione aluina expectandum est: in vtroque enim casu non nocebit, si sanguini etiam aliquis motus velocior et aliqua expansio inducatur.

p. 14. Quodsi vero ab irritatione oriantur conuulsiones, opium interdum in iis conuenire, negandum non est. Maxime autem id valet, vbi solum motuum vitium subest, vt in hypochondriacis, dein si dolor aut stimulus, genus neruorum acrius adficiens, adest, vel demum, si acrimonia tenuissimae molis et causticae naturae per cutis poros eliminanda est, ita tamen, vt cum opiatibus talia insimul adhibeantur, quae et diluant et obtundant, stimulumque iuoluant.

p. 16. Si epilepsiam eiusque varias species perpendamus, haereditaria primo et connata in censum venit. In hac certe opium minus confert: cum enim ea a mobilitate, teneritudine et sensibilitate neruorum dependeat, opium potius dispositionem ad morbum magis iuuat inque habitum deductum obsfirmat. Alia epilepsiae species est, cuius causam in capite interno vel externo quaeres. Spectant huc laesiones capitum, humores extrauasati, ossium malae conformatioes, partium membranosarum indurationes et erosiones, inflammatio nimiaque sinuum

sinuum atque vasorum repletio. Ad hanc speciem
 curandam opium impar est, siquidem istas causas
 nunquam euertere, nec etiam occasionem malo-
 nascituro praecidere valet. Alia porro species est,
 quae interceptis euacuationibus solemnibus sanguineis
 aut serosis ortum debet. Hanc si curare velis,
 fac, ad consueta loca determinentur humores, cui
 vero fini opium raro aut nunquam respondere
 videbis. Alia iterum species est, quae a violenta
 irritatione et commotione totius generis neruosi,
 ab animi affectibus, doloribus acutissimis et qua-
 cunque causa, neruos vellicante et irritante, produ-
 citur. In hac sane, si unquam, opium multum
 boni praestare videtur. Si enim ab immateriali
 causa, animi e. g. affectu, nata fuerit epilepsia
 solumque motuum vitium subsit, opium tunc,
 pacatam menti tranquillitatem inferendo, princeps
 facile remedium erit. Pari etiam ratione prodest, si
 dolor in causa est: tunc enim per istud obtinetur,
 ut sensorium commune dolorem, a quo nascitur
 epilepsia, non sentiat. Sed magna hic prudentia
 opus est: manet namque causa doloris restatque
 nimia neruosi systematis sensilitas et mobilitas, qui-
 bus postea, motibus vehementioribus sedatis, per
 alia succurrendum est. Ultima tandem species est,
 ubi causa in externis partibus v. g. manu, pede
 haeret. In hac opium prorsus nihil valet, cum
 contra ligatura fortis, artificialis loci exulceratio,
 caustica etc. multum boni praestarent. Quod ad
 ipsum paroxysmum attinet, opium nec ante eum
 conduceat; siquidem causae, quae ad proximam
 actionem disponunt, in congestione humorum ver-
 sus caput fundantur atque ideo opium causam hanc
 potius auget et accelerat. Sed nec etiam in ipso
 paroxysmo valet, quia actus deglutitionis tunc
 temporis impossibilis est. Neque demum, post
 paroxysmum opium exhibere, conuenit; remanet

enim semper a debilitate cerebro stupor et fopor,
quae certe vitia opium augebit inque summum de-
p. 31. mum vitae periculum aegrotantem coniiciet. Extra
pároxysmum autem opium nunquam conduit,
siquidem in plurimis epilepticis euacuatione et
reuulsione opus est, ideoque opium, cum ad caput
humores vrgeat et contrarium effectum praestet,
exhiberi nequit.

p. 35. In altero capite, vbi conuulsuos morbos per-
tractat Noster, primo de opii vsu in hypochondriaco malo agit. Morbus hic spasmodicus duplicitis
generis esse solet: in altero nimirum materies quae-
dam, quam atrabiliam vocant, in visceribus ab-
dominalibus colligitur, in altero autem, absque
materie, totum genus neruofum ita mobile et
irritabile deprehenditur, vt vel a leui animi affectu
dira producantur symptomata. In priori euacuan-
tia, attenuantia et roborantia necessaria sunt, in
posteriori autem debilis ventriculi, intestinalorum,
omnium viscerum totiusque systematis neruosi tonus
roborandus sanguinisque languens circulus ita ad-
juuandus est, vt vbique liber habeatur. Sed neutri
huic indicationi opium satisfacere potest: nec enim
istud euacuationem nec debitam attenuationem
praestat, nec etiam robur addere valet, sed, cum
contrarium his praestet, causam huius morbi potius
auget. Nonne vero lenimen symptomatum praestat?
Ita fere primo intuitu videtur. Ast si perpenderis,
praecipua fereque omnia symptomata hypochondriaca a deiecto ventriculi et intestinalum tono
motuque horum viscerum peristaltico sequi et inor-
dinato, siue morbus cum materie atrabiliaria vel
absque ea sit, prouenire, opium sane, actionem
fibrarum motricium in canali alimentorum deiiciens.
motumque segniorem efficiens, pro hoc quoque
scopo neutiquam conuenire, recte iudicabis.

Eadem fere et de vsu opii in malo hysterico, p. 44.
 morbo, praecedenti analogo, valent. Hicce enim
 morbus spasmodico-conuulsius non ab vtero male
 affecto, licet interdum etiam aliquid ad eum
 producendum conferat, sed ab ataxia spirituum
 maleque affectis nervis, per viscera abdominis disper-
 sis, dependet. Laudarunt quidem permulti in
 paroxysmo hysterico opium, id tamen omnibus
 feminis promiscue exhibere, omnibusque sympto-
 matibus destinare, non conuenit. Inter praecipua,
 quae in paroxysmo obseruantur, symptomata,
 cuiuscunque partis dolor immanis, aut vomitus
 enormes, aut diarrhoea opii usum indicant. Tunc
 certe, si vnquam, ab opio expectes iuuamen, si-
 quidem omnia alia remedia conuulsione ventriculi
 prius excutiuntur, quam agere in eundem queant.
 Attendum vero est, vtrum vomitus a colluie
 vitiosorum humorum sit, in quo casu ad opium
 statim confugiendum non est; an potius iste inanis
 sit et a solo motuum vitio dependeat, vbi sane
 opium plura praestabit. Pari quoque ratione
 egregie conductit opium, si colicae hystericae, diris
 interdum vomitionibus stipatae, aegrotantes excru-
 ciant, in quo casu oleum amygdalarum dulcium,
 cum opio coniunctum dolorem leuat. Non nocet
 etiam opium, si vomitus, colici dolores aliaque
 symptomata febrem aemulentur statisque tempori-
 bus recurrent: tunc enim opium facit, vt febris
 ista neruosa vel tollatur, vel praecaueatur. In
 conuulsione demum et epilepsia hysteria, si solum
 motuum vitium adest, plurimum iuuat opium; sin
 vero isti motus conuulsiui congesti versus caput
 sanguinis effectus sunt, venaefactio locum habebit,
 nec vnquam opium. Quanquam vero negandum
 non est, opium interdum hysteris conducere,
 id tamen semper caute exhibendum est. Nunquam
 enim eo ipso vera morbi radix attingitur, tonusque

ventriculi et intestinorum, in quae semper actionem suam primariam exercet, debilitatus iam eo magis infringitur, quapropter tonica, quantum fieri potest, et martem in primis et corticem Peruuiianum prius exhibere praestat.

p. 64. His de conuulsuis morbis vniuersalibus expositis, particulares nunc motus conuulsiuos Noster considerat primoque de vomitu agit. Huius causa multiplex est: si etenim a cruditatibus, in ventriculo coaceruatis, oritur vomitus, iste potius vel vomitoriis adiuuandus est, vel aluum carentia usurpanda sunt, posthac autem tonica et aromatica exhibere conducit, ideoque opium, contrarios his effectus exferens, neutiquam hoc in casu valet. Si deinde ab acribus venenis corrosiuis aut validioribus purgantibus et emeticis, nimia dosi aut minus opportuno tempore exhibitis, vomitus oritur, opium exhibendum non est. Licet enim ob compescendos spasmos indicetur, id tamen neutiquam conuenit, siquidem acris ille stimulus, inuoluendus aut eliminandus omnino, opio quasi includitur, huiusque aetione finita, peior vomitus redit. Minime etiam conduit opium, si a tenui acri materie, in humorum massa habitante, et versus exteriora ableganda, circa ventriculum vero morsas necente, vomitus prouenit. Cum enim ista materie plerumque dispositio ad inflammationem inducatur, vt in variolis, morbillis, febribus acutis obseruatur; opium sane, causam minime remouens, exhiberi nequit, sed antiphlogistica eligenda sunt. Si vero ab humore arthritico retrocedente vomitus oritur, opium, cum circulum sanguinis non debilitet, sed potius, eodem vegetiori reddito, perspirationem et sudorem moueat, opium conuenire videtur. Cautione tamen et hic opus est seduloque attendendum num subiecta infirma sint, numque acre arthriticum nimis alte insederit ventriculi

ventriculi tunicis labemque visceri intulerit, vbi
fane opium iuuare nihil potest. A vasibus ventriculi,
sanguinem coaceruatum libero motu non transmit-
tentibus, nimis oppletis, diductis, obstructis et
varicosis si oritur vomitus, ut in suppressione
haemorrhoidum fluxuque mensium fieri solet,
opium, congestum sanguinem magis rarefaciens
ideoque vasa magis implens nunquam prodest, sed
suppressionem confirmat. Si a vasibus ventriculi
constrictis in succipennis et plethoricis vomitus
oboritur, qualis a potu frigido post exaestuatio-
nem subito ingurgitato deprehenditur, opium ob-
laxandum spasmum, dummodo relaxantia clysmata,
saponacea acida, diluentia, nitrum extusque calida
simul applicentur, conuenire videtur. Si autem
ab inflammato ventriculo vomitus prouenit, opium
ob acrem et irritantem vim exhiberi prorsus nequit,
excepto eo casu, vbi vomitus inflammationem
antecedit, in quo certe, opio caute dato, optime
interdum praecoccupari poterit inflamatio. A solo
motu inordinato liquidi neruorum si oritur vomi-
tus, opium saepe praestat opem. Ita iis condu-
cit, qui curru vesti facile vomunt, vel vbi ab
imaginatione vomitus est, vel vbi a terrore subita-
neo enatus fuit. Ab iracunda animi commo-
tione autem si oritur vomitus, opium ad compe-
scendos spasmos conuenire quidem videtur, sed
praeslat talia exhibere, quae acrimoniam biliosam,
quam tamen opium non infringit, corrigant vel e
corpore eiiciant. Tandem etiamnum notandum
est, opium non exhibendum esse, si debili laxaque
neruorum fabrica homines instructi sint, licet et
in his a sola spirituum anomalia vomitus ortum
trahat. Si a neruis ventriculi ob consensum per
partes alias, morbo suo proprio laborantes, affectis
vomitus nascitur, opium non conduit; si que demum
a vitio in solidis ventriculi circa cardiam vel maxime

pylorum haerente, suppuratione, scirrho vomitus oritur, opium miserrimum solamen adfert, nec raro nihil iuuat. Criticum autem vomitum opio oppugnare, periculosem est, nec indicationi respondet.

P. 97. Affinitatem quandam cum vomitu alit singultus, cuius causas omnes vel ad repletionem vel ad inanitionem vel ad irritationem Cl. Auctor refert. Singultum ab ingurgitatione nimia opio compescere, indicationi contrarium est, cum de euacuatione hic cogitandum sit. Ab inflammatione ventriculi, oesophagi, diaphragmatis ortus singultus et febre stipatus curationem morbi inflammatorii et antiphlogistica remedia desiderat, ad quae autem opium referendum non est. In singultu ab excretionibus suppressis, mensum v. g. haemorrhoidumque fluxu suppresso orto medela a restitutione suppressae excretionis pendet, sine qua opium vix iuuat. Si singultus ab acrimonia ingestorum oritur, non opium, sed talia, quae acrimoniae aduersantur, exhibenda sunt. Nihil etiam valet opium, si vermes singultus causam dant; hi enim peculiaria remedia poscunt et per euacuantia expellendi sunt. Si drasticia purgantia et emetica vel venena caustica singultum producunt, demulcentibus et oleosis prius exhibitis optime opium conducit. Si acrimonia, humorum massae inhaerens, ad ventriculum delata singultum parit, excretio congruis remediis restituenda et ad sua loca acre inuitandum est. Ad dolore partium, ventriculo et diaphragmati vicinarum, ortus singultus, non nisi principe morbo rite oppugnato, abigitur; qui vero a mobilitate neruorum et ataxia spirituum oritur, hic, determinationem spirituum mutando vel et motum ipsum copiosius affluentium inhibendo curatur, quapropter opium, quod ad posteriorem modum spectat, aptissimum locum inueniet. Violentum vomitum aut diu durantem

durantem si sequitur singultus, non nisi remedia vomitus praegressi valent. Cum febre intermitente complicatus singultus nunquam opio curandus est. Singultus a refrigerio calidum regimen et remedia calefacentia et aromatica requirit, hinc opium, calefaciens et spasmo crispatas fibras insuper relaxans, conueniens iudicatur. A luxatione, distorsione et fractura costarum inferiorum aut cartilaginis xiphoidis obortus singultus manum chirurgicam, nec unquam opium postulat. A denudata tunica ventriculi villosa si oritur singultus, opium, non nisi demulcentibus et oleosis praemissis, prodest. Singultus ab aphthis, tum nascentibus, tum deciduis, non opio, sed in priori casu relaxantibus et emollientibus, in posteriori autem oleosis et demulcentibus tractandus est. In singultu, a laesioribus cerebri orto, opium, humores ad caput determinans, nunquam prodest. In singultu a pure et ichore gangraenoso vel in ventriculo genito vel resorpto et ad ventriculum deposito, opium nihil prodest. Ab inanitione si prouenit singultus, excretione vrgente cum repletibus opium simul adhiberi potest. In chronico tandem singultu, vitia nervorum diurna malamque conformatiōnē partium et indurationē earum pro causa habente, praeter miseram curationē palliatiuam opium sane nihil praestat. In genere tamen notandum est, vehementissimum singultum, aegri vires prosternentem aut grauius malum inducentem exigere, vt, nisi causa morbi oxyus auferri possit, ad opium statim confugiatur.

Ad tussim pergit Noster. Haec, quae semper p. 123. irritationis nervosae membranae ideam inuoluit, vel idiopathica est, si in ipsis respirationis organis causa haeret, vel symptomatica dici solet, cuius causa in dissitis locis habitat perque consensum nervorum ad pulmonem propagatur. Si ab inspiratis irritan-

tibus oritur tussis, vaporess ex aqua et laete ore hausti conducunt, posthac autem opium exhibere, conuenit. Si peregrina in asperam arteriam illabuntur corpora, ea vel tussi reiiciuntur vel si ob molem reiici nequeunt, mortem producunt; in utroque casu opium nihil valet. Si a siccitate tracheae in morbis continuis et inflammatoriis tussis producatur, aer inspiratus per artem tepida humiditate praegnans redditus, cum antiphlogisticis insuper exhibitis, optimum remedium dat, opium autem, febris causam augens, nocet. In tussi catarrhali, quae ab acri tenui sero, tracheam sollicitante prouenit, optime medicatio succedit, si mane purgans mannatum sumitur, a meridie autem potionem demulcentes et emulsiones, acre temperantes, atque remedia, diaphoresin et diuresin mouentia in usum vocantur. tandem vesperi, post tepidum pediluum, opium exhibetur. In tussi pectorali humida habituali, ubi crassum viscidumque sputum accumulatum reiicitur et ob hanc causam nutritionis defectus metuendus est, diaeta conueniente et nutriente commendata, materies mobilis reddenda et per purgantia educenda, tandem pulmonibus robur conciliandum est, opium vero ad tumultuantes motus, vesperi interdum compescendos summa cum cautione exhibendum est, siquidem in hac tussis specie suffocationem minari potest. In tussi epidemica constitutionis epidemicae ratio indaganda est, inde, cum ea sibi non semper similis sit, vix definiendum, utrum prospicit an noceat opium; nocet tamen semper, si febris aut inflammatio simul cum tussi coniungantur. In tussi ab acrimonia humorum princeps morbus curandus est, tuncque semper ponderandum, an morbus ipse opium ferat. Sique a retropressa quadam materie v. g. scabiosa, arthritica tussis dependeat, reuelentia quidem et attrahentia ad loca, quibus antea infedit materies, primaria remedia

remedia sunt, neque tamen in his speciebus opiata reformidanda sunt. In tussi plethorica opium, cum sanguinem rarefaciat atque acre et aromaticum remedium sit, abesse debet. In tussi stomachali opium nocet semper; digestioni enim inimicum habetur, fibrasque motrices totius canalis alimentorum sensu et motu priuat. Simili ratione et nocet opium in tussi habituali cachectica, a tussi stomachali diutius durante nata: ob laesam enim digestionem acres viscidique succi in humorum massam inducuntur, ad pulmones deferuntur ibique tussiculosam irritationem pariunt. Tussis hypochondriaca, cuius causa in intestinis omnibusque imi ventris visceribus, debilitate et obstructione laborantibus, quaerenda est, nunquam opium fert, sed in ea principis morbi ratio habenda est. At conuulsiva tussis opium admittit; coercet enim motus animales, obtundit sensum stimuli, neruos laryngis, asperae arteriae et bronchiorum vellicantis, summamque glottidis strieturam relaxat: in tenerioribus tamen usus eius circumspectus omnino esse debet. In rheumatica demum tussi quoisque et sub quibus cautionibus locum habeat opium, capite de rheumatismo expositum est. Quamuis autem plures, hactenus memoratae tussis species opium vix admittant, in genere tamen notandum est, et in iis quoque, quae opium non ferunt, ob vehementiores, quos tussis haud raro producit, motus et ob metum grauiorum inde enascentium morborum laudatum istud remedium exhibendum esse, ita tamen, ut venaesectio praemittatur semper, qua quippe instituta tutus omnino opii habetur usus.

Asthma in genere consideratum, opii usum p. 151. vetat. Eo enim sanguinem rarefieri, molem mouendorum augeri et respirationem difficiliorem reddi, experientia docet. Quid ergo boni exspectan-

dum in asthmate, cum causae huius isto remedio auctiores reddantur. Dicunt quidem non in omni asthmate, sed in aliquibus tantum speciebus bonum ab opio expectandum esse effectum. Certe, si quid praestat, id tantum in ea specie valet, vbi sola ataxia spirituum asthma producit, quod tamen et tunc quoque absque cautione suscipiendum non est. In conuulsiuo vero asthmate, in quo a nonnullis tanti aestimatur opium, istud sane vel nihil iuuat, vel mitigatorium tantum remedium est, tuncque non nisi miserum solamen adfert, et vsu continuato non raro grauius malum excitat; vno tantum casu excepto, vbi asthma conuulsuum a materie retrograda, scabiosa, purpuracea, scorbutica aut ulceribus retropressis aut a frigore pendet, in quo sane casu opium, diaphoretica vi praeditum usum aliquem praestare quidem potest, sed non nisi caute exhibendum erit.

p. 164. In palpitatione cordis causas si perpendamus, opium raro locum habere, animaduertimus. Conducit istud, vbi tenuis acrimonia ad exteriora determinanda est, vbi excretiones quaedam compescendae sunt atque vbi sola mobilitas, vt in hypochondriacis et hysterics peccat, et vbi spasmi et flatus ac dolores non inflammatorii vrgent; in reliquis speciebus remedium istud nocet semper, maxime autem, quando organica vitia subsunt, atque inter ea aneurysma peccat vel polypus palpitationis causa est.

p. 172. Tertio demum capite opii usum in dysenteria aliisque fluxibus aluinis perpendit Noster, variisque primo auctorum de opii usu sententiis recensitis, ipse nunc morbum hunc considerat eiusque causam proximam acrimoniam tenuissimam, causticam biliosam esse, eximiumque in curatione eiusdem euacuantum usum haberit, ostendit. Cum autem acre illud irritans per aluum expellendum sit, opium vero

vero id non expellit, sed retinet, idemque nec destruit, nec inuoluit, nec etiam, solo dolore excepto, omnes illius effectus impedit, primo statim intuitu istud remedium noxiū habendum esse videtur. Ast si vrgentissimum dysenteriae symptoma, dolorem, perpendas, qui sanguinem et humores ad partem affectam violenter attrahit et febrem, syncopen, inquietudines, phrenesin aliaqua grauiora symptomata producit, opium sane necessarium habetur et nunquam nocere poterit, si simul demulcentia et euacuantia usurpentur, hisque demum dictum remedium et interponatur et subiungatur. Sique vehementissimum illum fluidorum affluxum et effluxum atque spasticum illum et conuulsuum in solidis sensilissimis conatum perpendamus, opium, vt egregie Noster exponit, potu tantum emolliente et lacteo largiter hausto elotisque intestinis per oleosum clyisma, mature etiam adsumi alteroque die rhabarbarum et manna felici cum successu propinari possunt. Neque enim generosa etiam dosi datum opium fluxum illum tollit, sed refraenat tantum et paulisper coercet. Imo vero, morbo iam adulto aut enatis statim, ob summam acrimoniae virulentiam, doloribus summis, sanguineque, deiectionibus numerosissimis praegressis, sincero et copioso effluente, nonnisi blandissima lenientia et opiate quantocyus exhibenda omniaque euacuantia, ne rhabarbaro quidem et manna exceptis, intermittenda sunt. In eo namque casu vel leuissimus stimulus nocet et malum grauius reddit, imo mortem accelerat. Sique demum dysenteriae malignae febribus putridis occurrant, corticem Peruuianum cum opio coniunctum exhibere conuenit, a quibus tamen abstinendum, si febris acuta inflammatoria eam comitetur.

De cholera, de qua Cl. Au^tori nunc agendum esset, nihil addere Nostro placuit, cum peculiari scripto atrox iste morbus descriptus habeatur, cuius summam nos alio tempore * exhibuimus.

In diarrhoea opium a nonnullis maxime laudatur; cum autem illo fluxu morbi non raro minuantur, iste, vtpote salutaris, opio compescendus non est. Sin vero fluxus perpetuus fere est et laudabiles succi simul efferuntur viresque inde franguntur, absque damno iste sibi permitti non potest. Verum cum causae diarrhoearum variae sint, variamque curationem exposcant, in certas classes eas Noster distribuit et opii usum exponit. Diarrhoea a purganti draſtico excitata et hypercatharsis dicta, solo lacte tepido hausto posteaque mero opio sumto curatur, theriaca autem, ob calidiora admixta improbatur. In diarrhoea, quae a cruditatibus vel a laxitate intestinorum dependet, opium plane interdicitur; in priori namque euacuantia, in posteriori autem adstringentia optimam medelam praebent. Quae vero a mobilitate neruorum, absque omni materiae vitio prouenit, ea quidem opium requirere videtur, sed praestant aromatica, neruina et roborantia; ad opium vero non nisi necessitate urgente confugiendum est. In diarrhoea indigestorum seu lienteria, dein in diarrhoea chymosa et chylosa, quae coeliacus fluxus nuncupatur, inque ea demum specie, vbi per aluum larga satis copia mucosa et pituitosa excernitur materies, opium prorsus nocet: in primo enim casu amara, aromatica et roborantia, in secundo tertio autem resoluentia et euacuantia tandemque tonica indicantur. Si a fero in corpore abundante prouenit diarrhoea, promotione potius, quam consopitione ea indiget, tandem roborantia requirit; quae vero diu durauit, ita ut vires frangantur, ea adstringentia et aromatica, si nulla adsint tormina, his vero praesentibus, anodyna postulat.

vid. Comment. nostr. Vol. II. P. IV. p. 685.

postulat. Aliter vero se habere videtur diarrhoea serosa, quae a perspiratione suppressa dependet. Cum enim ea sudore excitato haud raro curetur, quaeritur inde, anne opium diaphoreticum huic fini aequa inferviat? Licet vero haec diarrhoeae species opium optime ferre videatur, requiritur tamen, ut quisquiliae, in intestinis stabulantes, prius eiificantur. Diarrhoea biliosa opium non fert, sed euacuantia, acidula, sapones acidos vegetabiles, tandem, diu his usurpati, nec cedente malo, adstringentia, vel, si tormina urgent, anodyna requirit. In diarrhoea, in qua serum sanguineum, loturae carnium simile excrenitur, quaeque hepaticus fluxus nominatur, licet raro admodum contingat, nunquam tamen opium permittitur, sed polychrestus semper in eo rhabarbari acidularumque martialium usus est. In diarrhoea cruenta, quae, quod sine torminibus et sine tenesmo est, a dysenteria differt, opium nullum plane locum habere potest, siquidem dictus fluxus ut haemorrhagia considerandus est, eademque omnia ibi valent, quae de usu opii in haemorrhagiis dicta sunt. Diarrhoea atrabilaria, quae critica est, opii omni p. 247. umque adstringentium usum interdicit et euacuantia requirit, eo tantum casu excepto, ubi nimia copia nimioque impetu ad intestina ruit materies, in quo anodyna interponenda sunt; in symptomatica autem, intensissimis torminibus stipata ab opio nullum fere solamen expectandum est. In diarrhoea purulenta et ulcerosa, siue pus in ipsis intestinis haereat siue aliunde eo deferatur, opium partim nihil iuuat partim valde nocet. Diarrhoea colliquatiua, quae a putrida humorum indole oritur, omnia artis molimina eludit; quare opium quoque in ea nihil valet: quae vero post usum remediorum mercurialium euenire solet diarrhoea colliquatiua, ea optime curatur opio, cum nullum

nullum pharmacum mercuriali veneno conuenientius opponi possit, quam cum emollientibus opium. Diarrhoea, quae a retropulsa materie acri, v. g. arthritica oritur, si per blanda euacuantia non fistitur et effusior redditur, theriaca et diascordio componi debet, cum opiata ad exteriora materiem propellant. Diarrhoea febrium spontanea, quae in principio morbi obuenit seque per signa sua a symptomatica distinguit, non compescenda, sed adiuuanda est. In critica autem sollicite cauendum est, ne minus opportuna et damnosa cohibitione ea turbetur. Quodsi vero fluxus nimius sit et vires vere destruat, ad opium confugiendum est.

In symptomatica diarrhoea ad opium statim confugere non licet. Id enim, quod in canalem alimentorum depositum excernitur, crudum est et acrimonia sui generis peccat, hincque si reprimatur, in sanguinem remeare visceribusque noxam inferre potest. In genere autem notandum est, opium toti febri acutae, in se consideratae, nequaquam conuenire, sed eam augere omniaque symptomata grauiora reddere. Nocet in primis opium in ea symptomaticae diarrhoeae specie, quae praesente sanguinis diathesi inflammatoria oritur aut quae ab acrimonia biliosa, in intestina confluenta excitatur: in priori enim casu antiphlogistica inque posteriori eadem et demulcentia, auenacea, subacida aliaque eiusmodi et in primis nitrum profundunt. Nunquam etiam proficuum aestimatur opium in ea diarrhoeae specie, quae declinante iam morbo a fordibus, vomitorio sub initium febris licet indicato, eo tamen non repurgatis oritur: tunc autem vel vomitorium vel aluum blande laxantia conducunt. In diarrhoea, quae nitratis, acidis, syrups saponaceis et emulsionibus largiter usurpati superuenit, inter usum iuscotorum ex cerealibus, nitrosis pulueribus fluida tepida superbibere absorbentia et potus

potus calidos exhibere et clysmata demulcentia invicere praefstat. Hac medela non sufficiente externe theriaca cum vino rubro applicanda tandem et opiata exhibenda sunt. Si diarrhoea febrium a denudatione corporis et inde orta transpirationis suppressione oritur, potus calidi et epithemata calida, exterius applicata, profunt, opiata vero, non nisi torminibus urgentibus, exhibenda sunt. In diarrhoea, quae ab aphthis decidentibus oritur viresque morbo iam depresso magis debilitet, iusculis tenuibus auenaceis, lacte, rheo tosto, corticis peruviani decocto etc. prius usurpati, ob dolorosas sensationes partium denudatarum papauerina, hisque nihil iuuantibus, opium exhibere, non dubitandum est. In diarrhoea tandem a putredinosa corruptione viscerum post inflammationem nata, neque opium, neque ullum remedium praestare quidquam valet.

III.

JOH. ANTON. SCOPOLI Ph. et M. D. Ciuitatis Idriae Physici, Flora Carniolica; exhibens plantas Carniolae indigenas, et distributas in classes naturales, cum differentiis specificis, synonymis, locis natalibus, nominibus incolarum, observationibus selectis, viribus medicis. Viennae sumpt. Ioh. Th. Trattner. 1760. 8 mai. Alph. I. plag. 16^r.

Floristae officium laudabili studio sustinuit adimpluitque Cl. Auctor, dum systematico ordine plantas, Carniolae habitantes, disposuit, generum praecipuos characteres annotauit, species genuinis nominibus insigniuit, easque sollicite a varietatibus separauit, selectissima synonyma, ea in primis, quae

quae post TOVRNEFORTIVM inuenta fuerunt, omisis antiquorum omnibus, vbique adduxit, loca natalia diligenter annotauit, vernacula nomina adposuit, immo et descriptiones breues, sed quae differentias specificas satis exprimunt, singulis fere speciebus adiunxit, viresque medicas multarum stirpium, et quidem vix alias, quam a se ipso saepius obseruatas, addidit.

Ordinem systematicum naturalem magis, quam artificialem, adsumsit classesque partim a LINNAEO, ROYENO aliisque mutuatas, partim nouiter constitutas triginta tres constituit; quo itaque huius quasi noui systematis ordines patescant, sequens schema addamus:

Cl. I. Fungi.	XVIII. Amentaceae.
II. Algae.	XIX. Oleraceae.
III. Musci.	XX. Tricoccae.
IV. Filices.	XXI. Contortae.
V. Inundatae.	XXII. Asperifoliae.
VI. Piperatae.	XXIII. Verticillatae.
VII. Gramina.	XXIV. Personatae.
VIII. Calamariae.	XXV. Columniferae.
IX. Lilia.	XXVI. Succulentae.
X. Satyria.	XXVII. Caryophyllei.
XI. Fructiflorae.	XXVIII. Nasturtia.
XII. Blattariae.	XXIX. Papilionaceae.
XIII. Ascynoideae.	XXX. Anomalae.
XIV. Umbelliferae.	XXXI. Multisiliquae.
XV. Stellatae.	XXXII. Gymnopoly-
XVI. Gymnomono-	spermae.
sporae.	XXXIII. Calycifbrae.
XVII. Coniferae.	

In generibus inferioribus constituendis plerumque quidem LINNAEVM secutus fuit, non tamen aliorum inuenta neglexit, potius quandoque ab eodem secessit, vt in *Filicibus*, ex GLEDITSCHI obserua-

obseruationibus ordinatis, immo nonnulla ipsem
mutauit. Ita *Nasturtia*, siue *Tetrapetalas* siliquosas p. 510.
relieto fructu aliisque characteribus praecipue ex
glandulis, basi staminum vel petalorum adsidenti-
bus, vel deficientibus nouo modo ordinauit, eorum-
que genera constituit; inter siliculosas scilicet at-
tribuit *Cochleariae*, quorsum et *Myagrum* et *Dra-
bam* retulit, glandulas nullas, *Lepidio* glandulas
duas stamen quodque minus sustinentes, *Thlaspi*
glandulas quatuor, inter stamina maiora et minora
positas, *Lunariae* totidem vtrinque vnam inter
stamen minus et stylum, vtrinque aliam inter cali-
cem idemque stamen. *Biscutellae* glandulas sex,
vnam vtrinque inter stamina maiora, et ubique
vnam inter quodque stamen maius minusque co-
haerentem. Inter siliquosas; *Sisymbrio* glandulas
duas, vtrinque vnam ad basin staminis minoris;
Alliariae totidem, vtrinque vnam cingentem bases
staminum maiorum. *Dentariae* totidem, vtrinque
vnam inter calicem et stamen minus; *Turritidi*
quatuor, vtrinque vnam sustinentem stamen minus,
et aliam vtrinque inter stamina longiora et calicem.
Erysimo glandulas quatuor distinctas, vtrinque
vnam ad latera staminis minoris, vt in *Thlaspi*,
Rorippae, generico Gesneriano nomine, quo *Si-
symbrium palustre repens nasturtii fol.* TOURN sifit,
glandulas quatuor; vt in *Erysimo*, sed cohaerentes;
Hesperidi totidem, vnam vtrinque inter stamen
minus et corollam, et aliam vtrinque inter stamina
maiora et calicem. *Sinapi* quatuor, vnam vtrinque
inter stylum et stamen minus, et aliam vtrinque
inter stamina longiora et calicem; *Cardamine* sex,
vtrinque duas inter stamen minus et maius proxi-
mum, aliam vero vtrinque inter stamina maiora et
calicem; *Barbareae*, quae *Dentaria heptaphyllos bac-
cifera* C. B. Pin. est, sex, vt in *Rorippa*, sed eae,
inter quas stamina minora prodeunt, cohaerent in-

- p. 189. vicem. Inter Gramina nouum genus, *Airae* proximum, spiculis bifloris, sed ab ea diuersum calicis gluma vtraque aristata, petalo maiore tribus inaequalibus aristis terminato, minore vero bicorni, cornubus aristatis, constituit, illudque in honorem LEONH. SESLERI M D. qui in vrbe Veneta ad insulam S. Elenae ditissimum hortum botanicum coluit,
- p. 199. *Sesleriam* appellauit. *Bromum* vero et *Festucam* coniungi omnino posse affirmauit, cum aristae ab apicibus petalorum insensibiliter et eo vsque recedant, donec dorsales fiant, hinc *Festucam* reiecit, et sequentes *Bromi* characteres tradidit: Calicem biglumem muticum vel aristatum, spiculam plures, quam duos flores, habentem, petala duo oblonga, ex-
- p. 114. teriore semper aristato. *Tremellae* Dillenianum genus ambiguum, immo illud, vt cum *Lichen-agarico* MICH. fecit LINNAEVS, a stirpium numero prorsus separandum esse asseruit, quod, vt retineret, vnaminis modo botanicorum consensus effecit. In muscorum ordinandis in primis speciebus varia quidem mutauit, DILLENII vero genera ut plurimum
- p. 134. retinuit, et de *Polytricho* in primis monuit, eius species non bene a LINNAEO *Mniis* et *Bryis* associatas fuisse, et siue scyphi illi, *Mniis* attributi adsint vel desint, *Polytrichis* annumerandos esse scripsit omnes muscos; quorum capsulae calyptra villosa teguntur. *Saniculam* et *Astrantiam* coniunxit,
- p. 336. easque plantas ob vires vulnerarias vnicum naturale genus constituere asseruit, idque eo magis, cum umbella variet, et semina glabra per gradus scabra tandemque alata fiant. Ita et inter *Sherardiam*,
- p. 339. *Asperulam*, *Galium*, *Valantiam* et *Rubiam*, nullos inuenire limites potuit. *Sherardiae* quippe notam insufficientem *Valeriana* et *Scabiosa* docent, asperitas fructuum per gradus imminuitur, nec in aliis, vt *Datura* et *Dauco* assumitur, nec fructus mollis et hec, ubi Noris fabrica conuenit, genera diuersa constituit,

constituit, et sexum denique nullibi diuersa genera facere *Lychnides* et *Rumices* probant; *Gallii* itaque communis character erit: calix exiguis persistens, ouario impositus, corolla tubulosa, patens, fructus globosus infra receptaculum, vno semine vtrinque foetus. *Betonicam* et *Sideritidem* calice et corolla p. 461. summam affinitatem habere, *LUDWIGIO* quidem concedit, attamen vtrumque genus retinuit, et *Betonicae* verticilla foliis flores distinguenter, instruta, *Sideritidi* vero flores nullo folio distinguente bracteos tribuit, *Stachydem* autem galea integerima et staminibus pilosis ab vtroque genere differre assunxit. Ita et *Lamium*, *Galeopsis* et *Ballote* calice p. 466. et corolla maxime conueniunt, separata vero retinuit, et essentiam *Lamii* in denticulis, qui e lateribus labii prope faucem oriuntur, cauitate carentibus, *Galeopidis* in denticulis iisdem cauitate donatis, et *Ballotis* in denticulis illis plane deficienibus posuit. In *Sedi*, *Alsinis* et *Lychnidis* generibus *HALLERVUM* et *LUDWIGIVM* secutus fuit. *Geni* p. 534. *stam* et *Spartium* separavit, monuit tamen ex legibus methodi naturalis separari non debere. *Dorycnium* p. 536. autem *Lotis* adiecit, ex illa, vt scripsit, lege, qua ex *Hedysaro*, *Coronilla* et *Hippocrepide* vnum genus construi deberet. *Sagittariam* et *Alisma* seorsim p. 560. quoque proposuit, verum posteriori generi prius potius addi, et *Alisma* floribus monoicis, foliis sagittatis acutis dici posse, e contrario autem antequam p. 567. *Hepatica* ad *Anemonem* referatur, plura alia genera mutanda esse monuit.

Haec de generibus dicta sufficient; quaedam nunc et speciminis loco de speciebus addamus. In genere monemus, specifica nomina, recentioribus usitata, saepissime mutasse inque horum locum noua apposuisse, vti facile in *Graminibus*, *Muscis*, *Lichenibus* et *Fungis* apparebit disquarentibus. Fungos prae reliquis studiosius disquisiuit, plurimosque, ab

aliis pro speciebus venditos, pro varietatibus modo proposuit descripsitque, alias vero, ut nouas, nec dum descriptas, species annotauit; speciatim *Agaricos* sedulo collegit, examinauit, ordinauit et sub 46 speciebus plurimas varietates reduxit. De *Boletis*, quos cum GLEITSCHIO adsumfit, ut varietates innotescant, non modo colorem pilei, tubularum, stipitisque considerandum, sed frangendum etiam esse pileum et obseruandam carnem, vtrum ab aeris attractu naturalem colorem mutet, et qualem induat, an vero immutatum retineat, Cel. Auctor notauit. Inter *Lichenes crustaceos* nouas proposuit

p. 84. species, a MICHELIO et DILLENIO non memoratas, quas constituunt superficies lapidis cuiuscunque diuerso colore tincta; eam tamen pro crusta inorganica habuit, impalpabili et lapidea; namque in colorata ea lapidis parte excavata apparent. Foueolae, quae modo plenae sunt tartarea et decolore substantia, modo autem diuersum a subiecta crusta colorem habent, nullaque alia materie repletae apparent. Et licet Cl. Auctor dubitet ipse, an eiusmodi tuberculose lapidum superficies verae sint plantae, aut potius lapideo quodam concremento repletae foueae, tamen inter producta regni vegetabilis collocare voluit, quippe talia, quae medium indolem plantas inter et lapides habeant.

p. 95. *Lichenes* etiam coralloideos diligenter se obseruasse, seque vidisse cornicula simplicissima in ramosa, pyxides solitarias in proliferas, tubercula coccinea aut sessilia in fusca et stipitata, nudos stipites in squamosos, minusque ramosos in ramosissimos degenerasse monuit; hinc imitari noluit alios botanicos, qui verissimas varietates pro speciebus venditarunt, potius coralloides aliter disposuit ordinavitque, immo scripsit: Vnicam Lichenis coralloidis speciem a Deo fuisse creatam, ex qua reliquae

p. 172. omnes natae fuerunt. *Equiseta* cum quoad varias aetates

aetates, diuersamque natalium locorum indolem varie ludant, et in synonymis ordinandis maxime dissentiant scriptores, illorum species aut non rite definitas, aut non tot esse, quot huc usque assump-
tae sunt, Cl. Auctoꝝ existimauit; hinc, donec cer-
tiora proſtent, duas tantum species, caule laeui et
ſulcato diſtinctas assumſit. Ex eadem enim radice
caules nudos non floriferos, caules ſupra medium
frondofos non floriferos, caules nudos floriferos
et caules frondofos floriferos enatos obſer- p. 214.
uauit. *Caricum* ordines et species non cum
LINNAEO deſumſit a ſpicarum indole, quippe
quae maxime variare ſoleant, ſed ex culmo,
quem mutationibus longe minus obnoxium eſſe
vidit. Tres *Euonymi** species, a **LINNAEO** con- p. 325.
iunctas, ſeorsim proposuit, *Persicariam* vero mitem p. 421.
urentemque, nec non *Prunellae* species quatuor, ab p. 460.
HALLERO diſumptas, coniunxit et f. p.

Vires denique plantarum medicatas ſaepiſſime
annotaſſe Cl. Auctorem monuimus; ita *Lichenem* p. 102.
pulmonarium in haemoptysi prodeſſe, *Asparagi* ſyl. p. 238.
vestrem radicem ex arenosa loci natalis indole ab
heterogeneis pinguibus et glutinosis particulis, quae
diuretico ſcopo minus fauent, liberatam, ſatiua
longe praefantiorem eſſe; *Bryoniae* radice trita, p. 267
eaque ſola, vel cum aceto remixta, diu ſaepiusque
externe applicata, contumaces viſcerum abdomi-
nalium obſtructiones, inprimis a peruerſo corticis
Peruuiani uſu enatas, feliciter proſtagiaſſe; *Sangui-* p. 279.
sorbae vulgaris radicis puluerem in dysenteria ſub
finem ad drachmam in vino rubro datum, profuſiſſe;
Lysimachiae, *Nummulariae* dictae, folia ſola, extrin-
ſecus applicata, ulcerosam tibiam ſanaffe, ipſe

Dd 3

exper-

* Non vero eſt, quod mirum videatur Cl. Auctori,
Euonymum ad pentapetalos flores amandaſſe BOEH-
MERVM, ipsi enim latifoliae ſpeciei plerumque co-
rollam quinquefidam tribuit, et exoticae ſpecies
omnes quina gerunt petala.

- p. 306. expertus fuit. *Veronicae officinalis* decoctum, paucō aceto admixtum, per infundibulum ore exceptum, in catarrhali suffocatione multum valere obseruauit, eandemque plantam in inflammationibus impetum augere affirmauit, vt mirum ipsi videatur, tam facile in pleuritide praescribi a medicis; attamen
- p. 314. alio loco Cl. Auctō asseruit, nullum potum theiformem in pleuritide praestantiorem esse, quam si *Veronica* cum fl. *Popaueris erratici* propinetur. *Valerianae* fol. omnibus pinnatis radicis vsum in epilepsia curanda, singulari exemplo confirmauit, immo *Valerianam* sexu distinctam non differre a priori, assumit. Ex radicis *Bardanae* decocti diuturno vsu puellam toto corpore contractam redditam vedit, qua re permotus quaesiuit: an noxium quid insit plantae? an a sale et oleo acri siccante et irritante
- p. 354. solida haec neruorum tensio? * *Arnicae* virtutem ad resoluendos humores post lapsum aut contusio- nem extra vasa effusos, dummodo folia trita externe apposita fuere; *Quercus cupularum* puluerem ad alui fluxum et dysenterias compescendas; *Polygonum vulgare* in diarrhoeis diuturnis, maximopere laudauit; *Betonicae* cephalicam virtutem non imaginariam sed realem esse, firmandisque neruis idoneam,
- p. 415. p. 423.

* Licet practicarum Cl. Auctoris obseruationum fidem suspectam reddere neutquam cupimus, non possumus tamen non salutarem et ab omni suspicione remotum vsum *Bardanae* radicis defendere atque monere, nos salis et olei acris siccantis et irritantis vestigia nunquam inuenisse, potius demulcentem, blandeque resoluentem virtutem ipsi inesse, repetita experientia cognouimus, puellamque obstruktione viscerum insimi ventris vexatam, emaciataam, tabidoque motbo proximam, solo fere decocto recentis radicis, copiose assumpto restituimus, praeterea, vt alia omittamus testimonia, ANTON. STOERCKIVS idem decoctum in scabie, post febres superatas relicta maxime commendauit; vid. Eius Annus Medicus, de quo paullo post acturi sumus.

idoneam, acrem vero, radicem recentem aluum, folia sternutationem mouere, Sedi vulgaris folia p. 490. trita et sacculo inclusa, haemorrhoidibus coecis, maxime dolentibus, applicata, dolorem et tumorem auferre, succumque interne sumptum putredinem eneruare, scripsit. De Aconito, Anthora p. 550. dicto, retulit, flores pileis vestibusque affixos capitis dolorem producere, ut et manum, diu gestata stirpe, intumuisse, ab amico accepit, decoctum radicis cymices necare, pulueremque si butyro misceatur, muribus loco arsenici esse retulit Cl. Auctor.

Alias porro botanicas et oeconomicas obseruationes immiscuit. In *Lichene foliaceo*, *Pulmonaria vulgo dicto*, seuta, de quibus non meminit DIL. p. 102. LENIVS, rarissima vero dixit HALLERVS Cl. Auctor fere semper inuenit, eademque plana, sessilia, rubra aut nigra, ex oris et superna et inferna folii facie enata; aliquando etiam totam plantam verrucis seminalibus modo exasperatam, scutisque penitus destitutam, saepius tamen et scuta et verrucas in eodem folio obseruauit. In *Orchidibus*, siue vtp. 244. Cl. Auctor classico nomine dixit, *Satyriis* omnia adhuc confusa esse perhibuit, et quo descriptiones harum euidenter magis euidentes, sequentia proposuit nomina: Floris siue Cuculli scilicet petalum supremum *scutum*, duo alia *opercula*, et alia duo *alas*, sextum vero *labium*, eiusque segmenta, si adsunt, superiora, *brachiola*, inferiora *cruscula*, minimum inter crura *spinolam* adpellavit; In tribus vero, quae proposuit generibus, *Orchide*, *Ophry* et *Serapias* multas species retinuit descripsitque, quas LINNAEVIS in primis pro varietatibus modo proposuit. In *Fraxino* apetala dicto, et flores her- p. 579. maphroditos et feminineos adsunxit in diuersis plantis, vtrique autem flori calicem quadrifidum et petala quatuor euidentia, alba, decidua, pedunculō

et staminibus longiora, ex interiore calicis pariete enata tribuit. *Atrietis foliorum apice bifido* semen humo vegetabili primo vere commissum, protulisse stipitem biuncialem, ex cuius apice quina folia seu cotyledones prodierunt, eamque plantulam apto tempore in aliam terram translatam non periisse, vixisse potius et increuisse retulit, simulque monuit Cl. Auctor an non hac arte nemora condi propagarie possent?

IV.

NICOL. JOSEPH. JACQVIN *Enumeratio systematica plantarum, quas in insulis Caribaeis vicinaque Americes continente detexit nouas, aut iam cognitas emendauit.* Lugd. Bat, apud Theod. Haak, 1760. 8 mai. plag. 4.

Plantarum Americanarum, quae inter tropicos fortiuntur natale solum, illas hic enumeravit Cl. Auctor, quae vel in hunc usque diem botanicis incognitae, vel aliquali quidem; ast insufficienti aut erronea ratione descriptae fuerunt. Et duplii quidem modo hanc enumerationem instituit, dum scilicet primo ad systema LINNAEI Genera, omissis omnibus illis, quarum veram cognitionem iam possidemus, et secundo species, characteristicis notis distinctas, ordinauit, inter has vero nonnullas etiam, rite iam antea definitas, ideo excitauit, quo evidentior exsurgeret specierum distinctio, earumque interrupta staret series. Subiunxit ad calcem plantas octo nouas, quas inter alias plures possidet FRANCISC. a MYGIND, quasque in insula Barbados collectas fuisse, Cl. Auctor existimauit.

Genera hic a Cl. Auctore enumerata stabilitaque breuiori quidem descriptione, et species specifico nomine,

nomine, nulla addita descriptione, modo exornatas, deprehendimus, attamen illos, omissis reliquis, in primis adductos inuenimus characteres, qui ad determiniandam certam constantemque generis et speciei differentiam valere et sufficere omnino videntur; eumque in primis scopum praefixum habuit Cl. Auctor, ut Systemati naturae, a LINNAEO nuper edito, appendicis in locum inseruire posset praefens opusculum. Et cum de his omnibus speciatim aliquid dicere, nimis prolixum foret, en modo catalogum generum exhibeamus, sunt namque

Genera Noua:

Hapalanthus, Petitia, Aquartia, Chomelia, Myginda, Iacquinia, Laugieria, Hamelia, Ruyschia, Chaetaea, Hybanthus, Terebinthus, Hillia, Trigonis, Elaphium, Myrospermum, Heisteria, Swietenia, Casearia, Copaiua, Hiraea, Ginoria, Symplocos, Homalium, Russelia, Brownaea, Nissolia, Geoffroaea, Diphysa, Spilanthes, Kleinia, Wedelia, Strumpfia, Elaterium, Anguria, Boehmeria, Schaefferia, Astronium.

Genera Emendata:

Hippocratea, Echites, Varronia, Cordia, Bourreria *, Ehretia, Chrysophyllum, Ximenia, Amyris, Melicoccus, Dodonaea, Cassytha, Anacardium, Trichilia, Samyda, Suriana, Bocconia, Chrysobalanus, Mentzelia, Muntingia, Lecythis, Auicennia, Petraea, Duranta, Securidaca, Amerimnon, Pistia, Helicteres, Hernandia, Sapium, Dalechampia, Batis, Clusia.

D d 5 Ascle-

* Ita hoc nomen retinuit Cl. Auctor, quod enim in BROWNIO legitur, verum cum in memoriam BEVRERI dictum esse videatur genus, loco Bourreriae Beureriam nominavit BOEHMERVS in Definit. Plantar. Ludwigianis, n. 140.

p. 17. Asclepiadis species, quarum octo nouas recenti-
sunt, ferme omnes staminibus decem gaudere,
quorum quaelibet duo vicina ex eodem punto
ortum ducunt communem, annotatum legimus.
Plantae ex herbario M Y G I N D I mutuatae, sunt:
Loranthi vna, Paulliniae quatuor, Coccolobae duas
et vna Helioteris species. Et in hac ultima calicem
monophyllum, apice quadrifidum, lacinias paruis
acuminatis, incisura inferiore reliquis duplo pro-
fundiore. Petala quinque oblonga, calice longiora,
Nestarii foliola quinque linearia, longitudine ovarii,
eiusdem sulcis incumbentia, orta ad basin ovarii,
decidua; ovarium quinque sulcatum, villosum,
insidens receptaculo filiformi longissimo recurvo,
stylum denique stigmate quinquefido terminatum.
ex sicco specimine descripsit.

V.

Quaestiones saepius motae super methodo
inoculandi variolas, ad quas directa eruditio-
rum responsa hucusque desiderantur; indi-
recta minus satisfacere videntur: orbi medico
denuo propositae ab ANTONIO DE HAEN,
Sacrae Caesareae Maiestatis Consil. Aulico,
Med. Pract. in alma et antiquissima Vniuer-
sitate Vindobonensi Prof. Prim. Vindobonae,
typis Ioannis Thomae Trattner, 1757. 8.
plagul. 5.

p. 4. Cum vitae humanae conseruandae studium vario-
larum infestationem nimiis forsan laudibus extu-
lisse, i Structam vero haud satis in principio,
inquietatam conscientiam repudiasse, veritatemque
hinc, h̄te utrinque mota. ex praeoccupata mente
et altercandi amore, obnubilatam esse existimaret.

III.

III. Auctor; hoc ipsum impulit, ut praecipua quaestioneis capita, quae ipsum adhuc suspensum tenebant, colligeret, et cum orbe medico communicearet, quibus si directe fuerit satisfactum, manibus pedibusque in sententiam affirmantem se iturum, infisionemque breui ex Anglica Austriacam facere Germanamque conaturum, in primis vero eum, qui sua sibi dubia excusserit, aeternum veneraturum esse spondet. Sequentes vero quaestiones proposuit:

1) *Virum insitiua methodus per Deum licita?* Ad p. 11. quam ideo prorsus negando respondet, quia nemini liceat vitam suam in euidens discrimen coniicere. Ancipitem operationem chirurgicam quidem ob p. 19. praesentissimum mortis periculum instituere licere ait, infisionem vero nunquam: pericula ex grauiditate et nauigatione oriunda, quae ambae a Deo institutae et permisae sint, cum variolarum infitione comparari non posse, vtpote quae nec Deo auctore gaudeat, nec constet, num eam exercere liceat. Consuetudinem quoque non infectorum infantum, p. 28. cum iis, qui benignis variolis decumbunt, plenarie damnat.

2) *Vtrum insitiua methodus plures, quam via p. 32. naturalis, in vita seruatura sit?* Comparationem; qua ex iis, qui naturali modo correpti sint variolis, septimum quemque, ex inoculatis vix millesimum mori ponitur, iniquam esse ex eo arguere conatur Cl. Auctor quod ipsi ex 220, quos naturali via Hagae Comitum tractauit, vnicus duntaxat mortuus sit, licet quinque perierint, ex quibus autem quartuor ob varias adductas rationes eximit; et quod pariter paucissimos admodum a variolis in Hollandia Viennaeque cura eiusmodi medicorum mori vident, qui optima methodo vterentur. Si vero centesimum, ducentesimum, trecentesimum ab infitione obiisse ponamus, notabilem non superfuturam esse mortuo-

mortuorum vtriusque classis differentiam, hinc
p. 36. bellum hodierna de insitione incassum geri. Facilitatem porro insitionis methodi, frustra laudari, et comparationem exaggerari; vtrasque enim saepe faciles; neutramque magnis difficultatibus carere, se vidisse perhibet: Pus semper benignius in inoculando adhibitum nullam maiorem differentiam arguere: Optimas praeparationes saepe fallere, plurimis non praeparatis morbum leuissimum esse, quod Eruditi Edimburgenses Act. Edimb. Vol. 3. §. 2.

p. 40. agnouerint. Nosocomium insertioni destinatum prorsus reiicit, consulitque potius, vt inibi quoquis epidemicō tempore naturales variolae gratis curen- tur, cum venia accedendi ad leuissimam suscep-
p. 44. contagii suspicionem. Si quis inoculandus quoque ad contagii disseminationm euitandam aedes seligere velit, in quibus incolae nulli, nisi variolas passi essent: hoc consilium, praeter alia incommoda, non nisi in paucis inoculandis locum haberet; impossibile prorsum esset, vbi multitudo hominum inoculanda foret, vt sufficienes numero aedes huiusmodi inueniri possent; ergo et inutile consilium et inane. Ergo inoculatorum contagium multis aliis adflari potest. Quodsi igitur ponatur v. g. decem homines in vrbe quapiam inoculatos esse, singulosque eorum afficere alios nouem, iam cen-

p. 48. tum aderunt, qui variolis decumbent: quid vero tunc futurum, quando, quod quibusdam in voto fuit, in magno regno intra 30 annos millio hominum inoculata, adeoque in vita seruata fuisset, moriente caeteroquin naturalibus singulo septimo? Periissent eorum gratia 1285714 homines. Septies enim 1285714 faciunt 9000000, modo duo addideris [totali, omissis iis, qui in tanta inoculandi crebritate, siue incuria, siue inobedientia perire potuissent. Insituam igitur methodum horrendos sequi effectus Noster putat.

3) *An certo certius quiuis pene homo variolis, p. 52.*
serius oxyus, afficiatur? Antequam de infitione in
Europa cogitatum fuit, tam certum, quam quod
certissimum fuisse arbitratur, complures homines
sine variolis mortuos; plures iisdem bis, pluriesue
affectiones esse: Infitorum moderatores saepius fassos
esse, vigesimum quemque hominum variolis exper-
tem mori: Si ipsis hoc etiam concedatur, licet longe p. 56.
plures a variolis immunes viuant, attamen non nu-
merandam semper hominum multitudinem in qua-
libet prouincia magna que vrbe a variolis nunquam
afficiunda superesse: at plures forte immunes ma-
nere; ipsosque inoculationis defensores, saltem ex
suis ipsorum principiis, remouere legitimam hanc
suspicionem non posse, an non plures infitione va-
riolas patientur, quam via naturali passi essent?
Viperarum enim, serpentum, Bantamensium vene-
num, quo tela inficere norunt, vt et oleum tabaci,
cum saliuia deglutita innocua, facto autem vulnere
cum sanguine communicata, praesentissima venena
esse, certoque iugulare: et licet venenum variolo-
sum homines, quo quis modo iis applicatum, laedat;
attamen iure meritoque suspicandum esse, an non
immediate sanguini applicatum plures homines
adficiat, quam afficerentur via naturali: hanc suspi-
cionem vero ipsam certitudinem parere, quia insi-
tuae methodi autores ipsi fateantur, suam infec-
tionem afficere omnes, qui eam subierint; excepto
forte, vt quidam statuere, vigesimo quoque; cum
interim in orphanotrophiis 600 infantum uno con-
tagii tempore 20, alio 50 afficiantur, dum 200,
300, 400 iisdem in aedibus existant necdum variolas
passi. Ergo longe plures artificiali, quam naturali
afficiuntur contagio.

4) *An citra ullum dubium infitio, siue effectum for-*
tita, siue irrita, hominem per omnem vitam a secundis
variolis immunem praestet? Ill. Auctor infrequenti
sua

sua variolosa praxi alteras toties variolas obseruauit, ut demum earum videret securitatem, qui, quod olim eas habuissent, iam nihil a praesenti in aedibus contagio metuerent, id quod puellae exemplo probat, quae Viennae, cum quadriennio ab hinc veris distinctisque ast refertissimis variolis laborasset, d. 15 Febr. 1757 variolis rursus affici coepit, quam p. 69. ipse cum tribus aliis medicis visitauit. Hinc nec variolas, infitione comparatas, hominem ab alteris praestare posse immunem, sed uti naturales variolae repetant, ita et variolas insituas haberi posse post naturales, naturales post insituas asserit: id quod p. 74. Cl. TIMONI filiae exemplo probare annititur, quae, secundum Cl. MACKENZIE litteras, olim a patre inoculata, viginti vero post annos a fratribus itidem inoculatis, naturaliter rursus variolae infecta, octauoque morbi die iisdem mortua esse dicitur. Ergo dantur verae naturales variolae post insituas. Et quidni? aequa facile videntur Cl. Auctori nasci posse, quam secundae naturales.

p. 80.

VI.

Lettre à Monsieur DE HAEN, en Reponse à ses Questions sur l'inoculation. Par M. TISSOT D. M. Vienne, chez Jean Thomas Trattner, 1759. 8. plag. 6. *

i. e.

Epistola responsoria ad Ill. DE HAEN quæstiones super inoculatione Auctore Cl. TISSOT. M. D.

Qui

* Prior huius epistolæ editio prodiit iam anno 1758 Lausannaæ, sed illa, nescimus quo casu, ad nostras nondum peruenit manus.

Qui audie quidem, sed tremens quoque, antecedentes quaestiones, strenuus *Noster* inoculationis defensor, perlegerat, maxime tamen gauifus est, se non eo adactum esse, vt insitorum partes desereret. Spe potius fretus, fore, vt, publicatione suarum dubitandi rationum, Cl. DE HAEN proselytarum numerum augeret, statim respondendi consilium cepit, idque eo lubentius, quo humanius ab ipso Cl. DE HAEN ad id faciendum inuitatus fuerat.

Primam igitur quaestionem:

Vtrum insituia methodus per Deum licita? vtpote p. 6.
a Cl. CONDAMINE et CHAIS fatis superque examinata, vel ideo quoque Cl. CHAIS defendendam reliquit *Noster*, qui ab ipso ill. DE HAEN certior factus est, se hac de re cum isto verbi diuini ministro in amicabili disceptatione versari. Hinc, posteaquam primum ostendit, magnum BOERHAAVIVM nequaquam inoculationis osorem fuisse, statim se conuertit ad secundam quaestionem.

Vtrum insituia methodus plures, quam via naturalis, p. 14. in vita seruatura sit? Et primo, contra Ill. DE HAEN, qui variolas pro morbo admodum benigno declarauerat, ex auctoribus decem ultimorum seculorum ostendit, plurimos eorum variolas pro morbo pestilentiali, reliquos vno ore omnes easdem pro morbo p. 21. periculorum plenissimo et saepissime admodum lethali declarasse. Immensam quantitatem aucto- p. 28. rum, qui de variolis scripserunt, vt et perpetuam illorum, qui easdem nondum passi sunt, anxiamque variolarum formidinem, ipsamque morbi considerationem, cuius exitus, ceu morbi acuti, semper dubius maneat, illarum periculum quoque satis euincere demonstrat. Quanquam igitur insituiae p. 33. interdum, licet admodum raro, curatu difficiles deprehendantur, comparatione tamen instituta facile apparere dicit, insituas naturalibus curatu longe

longe faciliiores esse, et post insertionem vtpluri-
 p. 38. mum nulla fere curatione indigere. Concedit No-
 ster, optimas praeparationes in genere spectatas
 fallere posse et necessario debere, si praepostere,
 illis nimirum, quibus minime conueniant, adhi-
 beantur; hinc Eruditorum Edimburgensium Vol. 3.
 §. 2 obseruationem nihil prorsus contra inoculatio-
 nem valere colligit, vt pote qui has praeparatio-
 nes ne ipsi quidem instituisse, sed ceu praeparatio-
 nes satis vagas et parum methodicas, ab ipsis paren-
 tibus seu pharmacopoeis forsitan suscep-
 tas, istic
 p. 40. tantum indicasse videantur; adeoque hoc exemplum
 praeparationis legitimae efficaciam et necessitatem
 nequaquam infringere. Et licet haec, ceu medicina
 prophylactica, veteribus adeo cara et exulta, a
 p. 41. recentioribus nimis neglecta sit, omnes tamen,
 grassante peste et variolis, tanquam vnumquemque
 inuidentibus et periculosisimis morbis, praeparatio-
 p. 46. nes necessarias habuisse narrat. Per praeparatio-
 nem ad inferendas variolas nihil aliud intendi-
 monet, quam quod corpori humano tempore
 opportuno dispositio ista certo concilietur, quam
 ipsi praecipitanter procurare studemus, si morbo
 iam correptum est: Quodsi vero etiam haec praepa-
 rationis pars prorsus inutilis esset, alteram tamen,
 quae electionem rerum accendentium dirigit, inocu-
 lationi maxime fauere, cuius rei quoque notabilem
 casum adduxit Noster; et cum ex eius sententia vera
 methodus variolas tractandi nunquam vbique reci-
 piatur, hoc itidem maxime pro inoculatione mili-
 tare arbitratur; medicus enim systematicus, qui
 naturales secundum istam opinionem male tractabit,
 optime tamen subiecta ad insertionem praeparare
 p. 50. poterit. De reliquo autem insertionis methodum
 nequaquam facillimam, sed methodo naturali eo
 tantum in casu faciliorem esse censet, si a prudente
 medico

medico dirigatur. Hinc prudentis medici iam non esse afferit, licet olim aliter senserit *, si quis subiecta parum bene valentia, debilioris constitutionis ad euitandum maius periculum cum minore boni euentus probabilitate inoculare velit, quia infortunia hinc emergentia, infissioni non imputanda, eidem tamen ab hominibus, omnibus circumstantiis non satis instrutis, facile imputari possent. Nefocombia dein, inoculationibus destinata, ab incommodis ab Ill. DE HAEN imputatis vindicat, et e contra maioris nosocomii ad variolas naturales inibi gratis curandas ab Ill. DE HAEN propositi incommoda adeo clare ante oculos ponit, ut, loco speratae utilitatis, longe maiora damna reipublicae inde emergere posse appareat. Cum Ill. DE HAEN vltiorem porro infisionis progressum contagium ita diffemi- naturum esse arguisset, ut longe plures via naturali afficiantur et plures variolis moriantur, ac si prorsus locum non inuenisset; Nostr^e ex ratione et experientia ut et ex ipsis Ill. DE HAEN principiis de monstrat, quodsi etiam inoculatus quidam tantum contagii spargere posset, quantum ad nouem alios inficiendos sufficeret, attamen non nisi unicum, et ne semper quidem, nunquam vero plures reuera infici posse. Alium dein addit calculum, ex quo clare apparet, quod, si millio hominum intra 30 annos inocularetur, loco 1285714 mortuorum, 132857 in vita seruarentur, in tribus generationibus, loco horrendorum insituue methodi effectuum, incredibilem hominum numerum producturi. Iure igitur meritoque Ill. DE HAEN directe Nostr^e respondere posse credit, *variolas insituas plures homines in vita conseruare, quam naturales, aduersariosque infisionis*

* vid. l'Inoculation justifiée etc. Lausanne 1754 in 12 p. et Commentar. Nostr. Vol. V Part. 2 p. 264.

infisionis hinc videre, quantum illorum principia generi humano noceant?

Ad tertiam quaestionem:

- p. 74. *An certo certius quiuis homo variolis, serius ocyus, afficiatur? regerit, cum veteres variolas pro morbo, omnes singulosque inuadente, habuerint, inoculato-*
- p. 79. res non iniquos esse, si vicesimum quintum a variolis immunem esse statuant, cui ne per insertionem puris quidem variolae communicari possint. Cum igitur Ill. DE H A E N afferuisset, per puris insertionem plures, quam via naturali, variolis affici, quia pus sanguini mixtum longe efficacius agat, quam contagium naturale epidemiae tempore in orpha-*
- p. 83. notrophiis, respondet Noſter, argumentum de viperarum, serpentum, Bantamensium veneno ut et de oleo tabaci tanquam illegitimam inductionem prorsus nihil valere, et facillime ita retorqueri posse, ut exinde sequatur, pus variolosum, ore sumtum, longe fortius agere, quam vulneribus applicatum;*
- p. 85. et qui vno epidemiae tempore in orphanotrophiis immunes manserint, alio sensim variolis affici, donec omnes morbum perpeſſi sint, excepto singulo vicesimo quinto. Hinc ad hanc quaestionem tandem respondet, quod certo certius quiuis fere homo serius ocyus variolis afficiatur, et quod infitio nequaquam pluribus variolas communicet, quam contagium naturale.*

In quarta denique quaestione:

- P. 89. An citra ullum dubium infitio, siue effectum sortita, siue irrita, hominem per omnem vitam a secundis variolis immunem praeflet? Noſter duplicitatem variolarum, quam olim nimis confidenter negauerat, nunc quidem, sed tanquam rarissimum casum, admittit. Cum vero Ill. DE H A E N variolas non pro morbo singulari, sed communi agnoscat, Noſter rursus ex veteribus recentioribusque celeberrimos auctores et*
- III.

ILL. DE HAEN ipsum adducit, qui duplicitatem variolarum partim absolute negant, partim ceu admodum dubiam agnoscunt, partim ceu rarissimam concedunt, et partim, quos vero ILL. DE HAEN ipse solus et vnicus est, ceu frequenter visam declarant, et hinc duplicitatem variolarum rarissime et vix centesimo cuique euenire, quamlibetque alian. conclusionem in omnes alios, excepto solo ILL. DE HAEN, iniuriam fore, concludit. Concedit tandem, ino p. 96. culatos eodem modo, vt variolas naturales iam expertos, iidem denuo corripi posse, sed itidem rarissime, et hinc eidem respondet: *extra omnem p. 97. dubitationis aleam positum esse, inoculationem secundum regulas institutam, siue effectum sortita, siue irrita fuerit, omnes illos, qui variolas non altera vice experiri debebant, et quorum ultimorum numerus eximie rarus est, a recidiua praeseruare.* Ob hanc possibilitatem vero inoculationem negligi non debere dicit, cum absque periculo sit, et sufficiat, quod plurimis utilis sit, reliquorum vero sortem non peiorem reddat: absurdum fore, ab inoculatione id exigere velle, quod naturales praestare non potuissent; et, si illos, quibus secundae variolae metuendae sint, ex certis signis dignoscere possemus, consultum fore, vt illis, quamprimum a prima inoculatione restituti essent, altera vice variolosum pus infereremus. Sub finem tandem aduersario suo sequentem quaestionem proponit Cl. Auctor: *Variolae naturales admodum periculosae sunt: Inoculatio earum pericula quam maxime imminuit, illasque non nisi illis communicat, qui sponte easdem contraxissent: estne igitur credibile, quod Deus auxilium, ad cohibenda mala ex hoc morbo oriunda, adeo aptum condamnet?* Aut flagellum est, quo cum humanum genus punire voluit, in hoc p. 99. casu inoculatio procul dubio peccat; curatio vero variolarum naturalium itidem innocens esse cessat; quo magis igitur quis eam perfecit, eo magis cul-

pandus est, eandemque ob rationem Cl. DE HAEN maxime. Quodsi vero non, tunc eidem quoque quouis modo obuiam ire licebit, id quod variis praeterea rationibus similibusque illustrat *Noster* atque confirmat.

VII.

Refutation de l'Inoculation, servant de Réponse à deux Pièces qui ont paru cette année 1759. dont la première est une Dissertation, lue dans la Société de l'Academie Royale des Sciences de Paris, par M. DE LA CONDAMINE, Membre des Académies Royales de Paris, Londres, Berlin etc. et la seconde, une lettre de Mr. TISSOT, Docteur de la Faculté de Montpellier, et Médecin très célèbre à Lausanne, à l'Auteur de la présente Refutation, par A. DE HAEN, Conseiller Aulique etc. A Vienne en Autriche, chez J. T. Trattner, 1759. pl. 10 $\frac{1}{2}$.

h. e.

Refutatio commentariorum de inoculatione, a Cl. viris, DE LA CONDAMINE et TISSOT editorum etc. Auctore Ill. DE HAEN.

Hanc refutationem in tria capita diuisam et Cl. TISSOT dedicatam deprehendimus. Declarat Auctor in epistola dedicatoria, se ex lectione litterarum, quarum breuissimam recensionem modo dedimus, certo cognouisse, quod inoculatio nulla ratione defendi possit. Hinc responsionis loco satius esse duxit totum inoculationis systema refutare, atque ostendere, utilitatem inde speratam pro mero ente rationis habendam esse. Refutationem vero ipsam ita adgreditur, ut in primo capite partim ex variis auctori-

auctoris, partim ex propria aliorumque experientia probare annitatur, falsum esse, quod omnes homines variolas experiri debeant, et quod nemo illis bis corripiatur; in secundo autem commonstret, varios auctores variolas pro morbo satis benigno nec adeo lethali declarasse. In tertio tandem capite p. 77. ad destruendum totum inoculationis systema omnem lapidem mouet, primoque ex comparatione numeri eorum, qui ex infestatione mortui sunt, cum iis, quos, secundum caput praecedens, ex naturalibus variolis quippe per paucos, mortuos esse dixerat, ostendere conatur, ex quadraginta vel quinquaginta inoculatis p. 83. plerumque unum mori, quae differentia cum naturaliter mortuis fere nulla sit. Cum vero postea tam pauci insitoribus mori dicantur, atque hoc a methodo inoculandi, secundum Cl. c h a i s septem allegatas regulas perfectiore reddit, dependere affirmetur, has ipsas regulas examinat. Primam p. 91. igitur atque secundam, electionem nimirum bonae tempestatis, et subiectorum intra 4 et 15. annos constitutorum facile concedit; tertiam vero, qua non nisi perfectly sani inoculari debeant, cognitum difficillimam, et corporum præparationes, secundum quartam, quidem bonas et necessarias, saepissime autem non sufficientes esse. Quod si porro inoculatores, quintam, sextam et septimam regulam obseruare velint, secundum quas epidemiae cuiusdam tempore, et quando variolae mali moris graffentur, nunquam, epidemiae antem variolosae bonae tempore, non nisi in principio et fine eiusdem inoculari debeat, illos certe nunquam inoculare posse autumat: epidemias enim subito apparere aliquaque aliam fere semper excipere, ita ut ab anno 1661 — 1675 et ab anno 1728 — 1748 a s y d e n h a m i o et h u x h a m i o descriptis nunquam inoculari licuisset: ex Cl. i v r i n i necrologicis calculis 67 annorum quoque apparere, quod

ob perpetuam variolarum epidemiam inoculatio
fere nunquam locum habuisset inoculatores vero
has regulas fere nunquam obseruasse: quodsi autem
eaedem exceptionis regulae, secundum quas inocu-
latores mortuos suos ex defunctorum numero exclu-
dere velint, iis applicentur, qui a variolis naturali-
bus e vita discessere, priorem mortuorum nume-
rum posteriorem vel excessurum vel saltem aequa-
lem futurum esse: mortuorum quoque numerum
post frequentes adinodum inoculationes ab ann.
1742 — 1752 non admodum imminutum esse:
Episcopum MADDAX quidem eundem quinta parte
imminutum declarasse; sed vix decima quinta parte
imminutum fuisse, ex mortuorum catalogis appa-
p. 136. rere: variolas quoque nunquam magis, quam anno
1752, quo sermonem suum pronunciauerit, perni-
ciosas atque lethales fuisse.

Hanc quidem Clarissimorum Virorum discepta-
tionem soluere non possumus, neque determinare
audemus, a quanam nocte litigantium parte ipsa
veritas stare videatur? numque Cl. DE HAEN ad-
uersarii sui obiectionibus vere satis fecerit? Laeta-
mur tamen, ab utroque viro comitatis leges non
fuisse neglectas. Proxime Cl. TISSOTTI respon-
siones ad hanc refutationem addituri erimus.

VIII.

Dissertatio inauguralis de nonnullis ad variola-
rum infestionem pertinentibus, Auctore FRI-
DERICO LUDOVICO KESSLER, 1760.
Halae Magdeburgicae ex officina Hende-
lianæ. 4. plag. 7.

Dissertationem hanc in duo capita diuisam de-
prehendimus, in quorum primo variolas
naturales theoretice tantum considerat; in secundo
vero variolarum artificialium methodum exponit
Cl.

Cl. Auctor. Licet vero in hac nihil noui inuenemus, ideo tamen eandem silentio prorsus praeterire noluimus, quia ex illa comperimus, Cl. Auctoris patrem, medicum Magdeburgensem celeberrimam, ex aliquot annis variolarum infisionem Magdeburgi primum introduxisse, eandemque in quadraginta octo subiectis felicissimo cum euentu instituisse. Experientia vero illum edocuit, variolas, easdem semel passis, vel nunquam experturis, per infisionis viam communicari non posse; puerilla enim variolis scatens ineunte anno 1757 in lucem edita, sub finem anni 1758 legitime inoculata, nec variolas experta est, neque ex hac operatione quidquam incommodi sensit: et in famulo quoque 22 p. 46. annorum, variolas nondum experto, eademque valde metuente, operatio, bis frustra instituta fuit. Sic quoque duos alias casus adducit, ex quibus appetere dicit, variolas malignas, inoculationem quidem sequentes, sed ex rebus circumstantibus non pro effectu operationis, sed pro naturalibus habendas, ideo tamen habuisse euentum salutarem, quod copioso ivarioloso puri datus fuerit effluxus per vulnera antea utriusque brachio inficta.



IX.

Journal de Médécine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. VANDERMONDE, Docteur en Médécine de la Faculté de Paris, Professeur en Chirurgie Françoise, Censeur Royal et Membre de l' Institut. de Bologne. Tome IX à Paris, 1758. chez Vincent. 8. Alph. I. pl. 13 et Tome X. 1759. Alph. I. pl. 13.

h. e.

Diarium, ad partem salutarem, chirurgiam, pharmaciā etc. pertinens. Auctore Cl. VANDERMONDE. Tomus IX et X etc. *

In mense Julio 1758 occurrit

p. 44. 5) *Obseruatio de virtute corticis peruviani in gangraenosa partium internarum dispositione* Auctore Cl. DONAT. Matrona octoginta duorum annorum vomitu continuo laborauit dirisque insuper doloribus abdominalibus cruciata fuit, quibus subito cefantibus gangraenam ventriculi metuens Cl. Auctor ter de die drachinam corticis peruviani exhibuit tribusque septimanis praeterlapsis aegra sanitatem recuperauit.

p 45. 6) *Obseruatio eandem corticis peruviani virtutem confirmans* Auctore Cl. PELLICOT. Aegrotanti, cuius scrotum gangraena corripuit, omni quadrihorio drachinam vnam memorati corticis cum aqua

* Scriptum hoc periodicum, cuius septem prioribus tomicis Collectionis Periodicae nomen datum fuit, ab octavo iam frontem mutauit et Diarii nomen accepit. Caeterum eundem, quem Comment. Nostr. Vol. VIII. P. III. p. 465. indicauimus, ordinem adhuc Cl. VANDERMONDE seruauit.

aqua cardui benedicti exhibuit sicque aegrotantem restituit.

7) *Obseruatio de hydrope per ptyalismum curato.* p. 47.
 Auctore Cl. HUON DE MAXEY. Iuuenis viginti annorum ascite laborauit, cui, pluribus remediis incassum tentatis, tabaci fumum fugere Cl. Auctor suasit, quo facto saliuia insigni copia effluxit, effluxusque tamdiu durauit, donec abdomen detumesceret. Posthac autem ptyalismo cessante aeger hydrope liberatus, praeter herniam vmbilicalem, pristinam sanitatem recuperauit.

8) *Obseruatio de vniuersali partium carnosarum induratione, qua corpus foeminae, dum in viuis fuit, ceu mumia, exsiccatum fuit* Auctore Cl. MARTEAU DE GRANDVILLIERS. Foemina quinquaginta sex annorum, quae ante aliquot annos rheumatismo inflammatorio vniuersali correpta et ab eo rursus liberata fuit, duodecim abhinc annis praeterlapsis oedematosa euasit. Oedemate cessante omnes musculi extremitatum rigidi et duri omnesque articulationes contractae omnisque fere motus expertes animaduertuntur. Viguit interim appetitus, aliuus nec adeo tarda fuit et arteriae adhuc pulsarunt. His perpensis plethoricum statum ob ciborum copiam et imminutam perspirationem Noster suspicatus et metuens, ne apoplexia corriperetur aegra, venae sectionem indicatam esse, iudicauit: cum vero impossibilitatem, ob rigiditatem et duritatem partium, deprehenderit, opus hoc naturae commisit; inde sanguis primo per vasa haemorrhoidalia, posthac autem per nares exiit, quo facto caput aliquod leuamen accepisse visum fuit. Sed frustranea haec naturae molimina fuerunt: cessante enim fluxu sanguinis appetitus prostratus et febris anomala accessit, postea ginguae intumuuerunt, foetor oris, vomitus foetidissimus et ptyalismus

feroso sanguineus superuenerunt, pauloque post aegra obiit.

p. 64. 11) *Obseruatio de calculis notatu dignis, qui per scrotum transierunt* Auctore Cl. GIBIER. Aperto nimirum tumore, in scroto oborto, quatuor calculi exierunt, quorum maximus vnciam vnam et drachmas quinque cum dimidia pondere aequauit.

p. 65. 12) *Aliam obseruationem de eodem argumento subiunxit idem.* In glande penis pueri duodecim annorum ortus tumor magnitudine pomum aequauit, quo aperto septem calculi extracti sunt.

p. 72. 14) *Obseruatio de curatione infantis male tractati et mediante vncino ex utero extracti* Auctore Cl. CAMPARDON, seniori. Ad parturientem foeminam chirurgus quidam accersitus vncinum statim, licet nullum adfuerit mortis indicium, medio in loco ossi occipitis applicat; dum vero iste infantem extrahere tentat, vncini apex non rite firmatus elabitur et partem aliquam cutis, palmae manus magnitudine, dilacerat, ita ut dimidia pars ossis occipitis satque magna portio ossium parietalium denudetur. Hoc non obstante denuo vncinum pone aurem sinistram iuncturae ossis occipitis et temporum applicat sicque varias partes laedit. Tandem vncino firmato, adiuuante alio chirurgo infantem puellam extrahit, quae praeter omnem opinionem viua in lucem prodit. Adhibentur illico varia remedia et tempore aliquo elapso partes laesa restituuntur ipsaque puerilla sanitatem recuperat, ita ut nec in corpore nec in anima vitium ullum deprehendere licuerit.

p. 77. 15) *Obseruatio de gangraena singulari femoris, cruris pedisue infimi* Auctore Cl. LECORDIER. Hic tantum notamus, aegrotantem septuaginta quatuor annorum in integrum restitutum fuisse, licet iste regimen exactum non obseruauerit, omnesque cibos, quos ab aliis acceperat, comederit. Interna remedia

remedia fere nulla assumisit, sique forte curationi aliquid tribuendum, externis tantum remediis id adscribendum esse, Noster putat

In mense Augusto 1758 reperitur

5) *Observatio de dolore auris, haemorrhagia stipato, p. 136.*
cuius causam tres vermes suppeditarunt Auctore Cl. FARION. Puer sex annorum ex cuius aure sinistra per mensem purulenta materies effluxit, tempore hoc elapso per aliquot dies dolore insigni cruciatus fuit, adeo ut conuulsu motibus corriperetur. Dolore paululum remisso vermis sat magnus, albo colore, capite nigro inque dorso nigra linea notatus prodiit pauloque post duo alii similes, manu chirurgi, extracti fuerunt. Cessarunt illico symptoma breuique tempore sanitatem recuperauit puer. Hos vermes chartae conuolutae inclusit Cl. Auctor, quo comperiret, an mutationem quandam patrarentur. Quinque diebus praeterlapsis in charta chrysalides nigricantes, decimoque tertio die praeterlapso muscam maiorem et talem quidem, quales aestate circa carnes, aeri expositas aliaque loca, vbi partes animales putridae deprehenduntur, reperit. Quocirca Noster muscam ouula sua in materiem illam purulentam, ex auro pueri effluentem, deposuisse haecque, in meatum auditorium peruenientia, ope caloris ibi euoluta esse, colligit. Vermes et muscae in adiecta iconē delineantur.

6) *Observatio de infante, qui per quatuor annos p. 142.*
in ventre matris haesit, cuiusque ossa per aperturam in
musculis abdominalibus, prope umbilicum ortam, exie-
runt Auctore Cl. COLLIN. Foemina grauiditatis suae mense nono ex alto cadit et male inde se habet. Mensibus tribus praeterlapsis aqua rubella erumpit, neque tamen foetus. Mensibus iterum aliquot praeterlapsis menstrua prorumpunt cessantque iterum. Tandem anno quarto colicis doloribus et vomitu praegressis copia purulentae materiae ex

vtero

vtero et abscessu circa umbilicum formata exit insimulque cum pure, ex abscessu manante, omnia foetus ossa duriora singulatim prodeunt. Ossibus et pure mater liberata conualuit.

p. 148. 7) *Obseruatio de calculis biliariis Auctore Cl. HUBERT.* Hac obseruatione calculos biliarios non solum aquae innatare, quae characteristica plerumque horum calculorum nota dicitur, sed in aqua etiam subsidere Cl. Auctor probare annititur.

p. 149. 8) *Obseruatio de puerperio foeminae, cuius tota uteri vagina inuersa et prolapsa fuit perque duos dies in tali statu propendit Auctore Cl. CHEMIN.* Ad parturientem foeminam Cl. Auctor accersitus uteri vaginam inuersam et prolapsam reperit. Repositione frustra tentata vaginam decussatim incidit et foetum pauloque post secundinas extraxit, hasque operationes sex minutis instituit. Vtero dein et vagina repositis auxiliisque adhibitis foemina die decimo quarto praeterlapso optime conualuit.

In mense Septembri 1758 occurrit:

p. 231. 5) *Obseruatio de noui generis vermibus, qui per aluum hominis cuiusdam exierunt Auctore Cl. GOUR.* Vermes isti incredibili copia eiesti et absque microscopio disquisiti millepedum fere figuram habuerunt, duas lineas longi, vnamque lati, dorso planiores, quam millepedes, ventreque pedibus valde breuibus instructi fuerunt. Caput atque caudam non deprehendit Noster: figuram enim oblongam represefuntarunt, coloreque gryseo et albo praediti fuerunt.

p. 240. 6) *Sectio cadaveris Auctore Cl. MARTEAU DE GRANDVILLIERS.* Abdomine militis cuiusdam, phthisi defuncti, aperto ingens hepar, naturali duplo maius, in conspectum venit, quod non solum hypochondrium dextrum et sinistrum sed totam regionem epigastricam occupauit. Lien rotundus

rotundus et durus sub lobo hepatis paruo et aliqua ex parte sub pancreate locatus fuit. Ventriculus ad umbilicalem usque regionem descendere coactus orificium superius duos digitos altius quam pylorum habuit. Oesophagi longitudo sub diaphragmate oculo vel nouem lineas aequauit, omentum vero magnum ad annulos abdominales usque descendit atque sinistro penitus, dextro vero aliqua tantum ex parte absque herniae vestigio adhaesit. Pectore aperto, cava sinistra naturali maior apparuit atque mediastinum dextrorum magis quam sinistrorum inclinavit.

9) *Commentatio de vermis, qui per renes et vrethram infantis exierunt, una cum meditationibus de nephrothomia Auctore Cl. MOUBLET.* Puer quinque annorum de insigni dolore in regione lumbari dextri lateris conquestus est. Re disquisita abscessum latenter Cl. Auctor suspicatus remedia, ad suppurationem facientia, applicauit, post hac partem incidit. Prima incisione facta nihil exiit: obstupuit quidem Noster, neutquam vero perturbatus scalpellum profundius adegit, quo facto ingens puris copia effluxit tuncque symptomata cessarunt. Vlcere contra omnia remedia rebelli persistente puer matris tantum curae commissus fuit. Mensibus aliquot praeterlapsis puer ad Nostrum accessit eique vulnus clausum et cicatrice obductum ostendit. Paucis vero abhinc diebus praeterlapsis puer male iterum se habuit; Noster igitur accersitus sectionem iterum instituit sicque pus iterum eduxit. Vlcere iterum clauso paulo post sectionem denuo instituere coactus fuit Noster, qua aliquoties suscepit fistulosum tandem vlcus remansit, per quod continuo purulenta materies effluxit. Puer interim per interualla de dolore lancinante et punctorio conquestus fuit, ex quo calculi praesentiam Noster coniecit. Sed praeter opinionem mater pueri
vermem

vermem quinque pollicum longitudine pennaeque crassitie attulit, ex vlcere extractum. Eodem die Noster alium paulo minorem duobusque diebus praeterlapsis tertium ex vrethra extraxit, quem quartus nocte insequente sponte sequutus est. Quatuor hisce vermibus egressis, puris copia immunita atque vlcere consolidato perfectam sanitatem recuperauit aegrotus puer.

p. 261. 10) *Obseruatio de suppressione urinae a calculo proueniente, qui libram semis pondere aequauit et per alium hominis octoginta duorum annorum exiit* Auctore Cl. LEAUTAUD. Hic tantum notamus, aegrum plenarie curatum sex posthac annos absque vlla affectione morboſa superuixisse.

p. 265. 11) *Descriptio fontis medicati Polzinensis in Pomerania detecti* Auctore Cl. GOTTLÖB *.

In mense Octobri 1758 deprehenditur:

p. 307. 3) *Obseruatio de gangraena podagrae superueniente, cortice peruviano curata* Auctore Cl. ROSSIGNOLLY. Doloribus podagricis quidam cruciatus suasu cuiusdam sudoriferis, euacuantibus, resoluentibus et repercutientibus vtitur, quo facto paulo post leuis inflammatio in pollice pedis sinistri oboritur, tuncque, pollice vrina intineto gangraena superuenit. Accersitus Noster ad sistendum i lud malum scarificationem instituit; tantum vero abfuit, vt malum cessaret, vt potius id ipsum illa peius redderetur. Corticem proinde peruvianum larga dosi, sex nimirum drachmas, quotidie exhibuit exteriusque tonica et vulneraria cum chiae et cascarillae cortice mixta applicauit sicque omnia in melius

* Notamus hic, Auctorem huncce neutiquam GOTTLÖB, quod praenomen tantum est, sed THEBESIVM nominari. vid. Comment. nostr. Vol. VII^e P. I. p. 119.

melius mutauit. Aegrotus his minus conten-
tus specificum putatum, a nonnemine oblatum,
vsurpauit, quo sumto sphacelus accessit. Noster
iterum conuocatus summumque periculum videns
corticem iterum propinauit sicque gangraenam
cohibuit, partibusque mortuis rite separatis aegro
vita seruauit. Ex his igitur euacuantia, si poda-
grae imminentis signa adsint, nocere, naturamque
in promouenda materiae podagrcae eruptione im-
pediri, vrinam autem, sale ammoniaco foetam,
hincque natura frigidam et repercutientem, gan-
graenam producere, scarificationem vero in hoc
casu, cum materies per congestionem neque ta-
men per fluxionem ibi deposita fuerit, noxiam omni-
no fuisse Cl.-Auctore colligit.

5) *Obseruatio de hemiplegia totius lateris sinistri p. 325.*
per antiuenerea curata Auctore Cl. BALLAY, iuniore.
Interne nimirum panaceam mercurialem propina-
uit, externe vero frictiones mercuriales applicuit,
ita ut exigua tantum saliuatio excitaretur, partes
vero affectae dolorosae euaderent et aegrotans tri-
bus mensibus cum dimidio praeterlapsis sanitatem
recuperaret.

6) *Obseruatio de curatione hydropis pectoris cum p. 330.*
ascite coniuncti Auctore Cl. BAUDOT. Multis re-
mediis diu et frustra usurpati omni demum qua-
drihorio bolum, ex arcani duplicati scrupulo semis,
croci martis aperitiui granis sex, kerimes mineralis
grano semis et extracti bryoniae, cum viño albo
parati, scrupulo semis compositum exhibuit, quo
usurpato vrina copiose effluxit aegerque curatus
fuit.

In mense Nouembri 1758 reperitur:

2) *Obseruatio de insigni copia vermium, qui per p. 415.*
nasum exierunt Auctore Cl. RAZOUČ. Ad foemi-
nam quandam, febre laborantem, deque capitis
dolore insigni aliisque affectibus conquerentem
Cl.

Cl. Auctor accersitus, euacuantia, temperantia et alia remedia exhibuit; malo necdum cessante tartarum emeticum exhibuit, cuius vero efficacitas in producendo vomitu exigua fuit. Tandem inter vomendum sternutare incepit aegra, singulaque sternutatione paruas vermes emunxit, ita ut sensim sensimque septuaginta vermes numeraret. His emunctis symptomata statim remiserunt atque aegra conualuit. Quod ad vermes pertinet, eos vermisbus illis, qui in sinibus frontalibus veruecum resident, perfecte similes imo forte illos ipsos fuisse, Noster pronuntiare non dubitat. Accidit enim, ut foemina ruri degens et sitibunda aquam ex lacu, ex quo pastor paulo ante oves suas aquatus fuit, hausit; inde Noster colligit, vermes, ex naribus ouium in aquam egressos, nasum foeminae intrasse seque in sinus frontales eiusdem insinuassi, ita ut dolores postea ab iisdem producerentur.

p. 422. 3) *Epitome litterarum Cl. DUMOLIN de puella aquis submersa, cinerum plantarum applicatione reuiviscente.* Puellam ex aquis extraetam proque mortua habitam super cineres plantarum, ad quatuor digitos transuersos in lecto explicatos, poni totumque eius corpus iisdem cineribus obtegi iussit. Hora semis praeterlapsa arteriarum pulsus tremulaque vox redierunt, per octo vero horas cineribus ita sepulta viua et lassitudine tantum aliqua affecta exiit. Aqua omnis per vias vrinarias tantâ copia effluxit, ut cameram inundaret. Cinerum defecatum salem communem, ubique obuium, supplere et eadem virtute donatum esse Cl. Auctor, experimentis, cum insectis institutis, confirmatus asserit.

p. 430. 4) *Observatio de triginta sex vel septem militibus esu radicis Oenanthes venenatis Auctore Cl. ROCHARD.* Ex his unus tantum paucas post horas obiit, reliqui insignibus conuulsionibus cruciati, vomitorio assumto, vita seruati sunt. Mortui corpore aperto gangrae-

gangraenosas hinc inde in intestinis maculas repererunt.

In mense Decembri 1758 deprehenditur:

5) *Observatio de ruptura cordis* Auctore Cl. p. 516.

H A Z O N. Vir sexaginta annorum, per tres menses doloribus in regione lumbari valde cruciatus, subito periit. Cadauere aperto magnam, in cauitatem pectoris effusi, sanguinis quantitatem inque dextro ventriculo cordis, quod naturali duplo maius fuit, rupturam satis amplam totiusque cordis fibras molles repererunt. Quae huius dilatationis et rarefacti sanguinis vera causa esset, non patuit; forte vero id nimio usui opii tribuendum esse, Noster arbitratur. Ad leniendos enim dolores lumbares, qui, ut sectio euicit, a carie primae vertebrae lumbaris prouenerunt, quotidie opium propinatum huiusque dosis ita aucta fuit, ut ultima vice ab aegro centum et quinquaginta sex guttae laudani liquidi assumerentur.

6) *Observatio de ventriculo in pectore reperto* p. 518.

Auctore Cl. MARCELLIN BONNET. Corpore foeminae cuiusdam, febre inflammatoria defunctae, aperto abdominisque visceribus disquisitis nullum ventriculum, sed loco huius paruum intestinum, quod diaphragma perforauit, repererunt. Sterno proinde remoto saccus membranosus, sub corde, quod ope pericardii sterno adhaesit, situs, diaphragmati incumbens et utrinque pulmonibus suffultus in conspectum venit, verumque ventriculum exhibuit. Foemina, dum in viuis fuit, semper post assumptum cibum de respiratione difficii conquesta est et saepe vomuit.

7) *Litterae, quas de curatione hominis, qui sibi ipse partes genitales abscedit ad Cl. VANDERMONDE dedit Cl. LOUIS.* Iuuenis ex alto cecidit et tantam inde cerebri commotionem passus est, ut tristis inde et mente quasi captus euaderet. Diebus aliquot

praeterlapsis nouaculam arripuit et nescius, quid faceret, omnes partes genitales ea ipse sibi abscedit, quo facto multoque sanguine effluxo statim resipuit. Accersito chirurgo haemorrhagia compescitur, Nostroque demum aeger traditus, remediis applicatis post sextam septimanam euasit. Ex his, largam venaesectionem in commotione cerebri utilem esse, Noster colligit hacque obseruatione probare insimul studet, ligaturam chordae spermaticae non solum inutilem, sed noxiām esse et absque ea operationem tutius suscipi posse, neque haemorrhagiam periculosa metuendam esse. Stupendas enim conuulsiones illas, quae castrationem, manu chirurgica institutam, alias sequuntur, ligaturae tribuendas esse. Noster autumat.

In Tomi X mense Ianuario 1759 occurrit:

p. 18. 3) *Dissertatio de mania inordinato menstruorum fluxu producta Auctore Cl. MAIAULT.* Hic tantum notamus, maniam hirudinibus, vuluae aliquoties applicatis, sanguinisque copia inde detracta, cessasse mensiumque fluxum prouocatum fuisse. Ex quo igitur et in simplici menstruorum suppressione hirudinum applicationem utilem esse, Noster colligit.

p. 23. 4) *Obseruatio de periodica mensium euacuatione per mammas et faciem Auctore Cl. CAZENAVE.* In toto pectore foeminae quadraginta trium annorum, cuius menstrua occasione metus cessarunt, rubor pauloque post innumera tubercula rubra, nisi minoris magnitudine, oboriuntur, quibus sponte apertis sanguis effluit, quo fluxu cessante tubercula disparent. Singulo mense ea redeunt, se iterum aperiunt, sanguinem effundunt iterumque disparent. Simile tuberculum in mala obortum singuloque mense enatum sanguinem fundit iterumque disparet. Foemina, dum haec Cl. Auctor notauit, adhuc in viuis fuit.

5) *Vsus*

5) *Vsus purgantium in pleuritide* Auctore Cl. p. 27.

SOUTEILLE. Hac commentatione Cl. Auctor ostendere studet, in pleuritide symptomatica, quae a putrido, in intestinis collecto, fomite ortum dicit febremque putridam comitem habet, purgantia non lenia, sed fortia, quae sordida lingua, ciborum fastidio, nausea, vomitu bilioso etc. indicantur, ab initio statim exhibenda, nec venae-sectioni fidendum esse. Hanc enim et quidem repetitam inutilem, tantum non noxiam, haberri, Noster arbitratur *.

6) *Observatio de infante quinque annorum prodigiioso* Auctore Cl. FAGES DE CAZELLES. Puer, cuius descriptio hic traditur, obscuro genere natus est. Tertio aetatis suae anno partes eius genitales magnitudinem hominis triginta annorum acquisuerunt; quinto aetatis anno staturam quatuor pedes lineasque tres longam pectusque amplum habuit puer, ita, ut distantia vnius alteriusque claviculae decem et quatuor pollices esset. Statura interim respectu brachiorum et inferiorum extremitatum minor fuit. Ab anno quarto amore in sexum sequiorem nubilesque in primis virgines propendit, intellectu interim infantili instruatus. Vox eius media fuit; vires vero muscularum Cl. Auctor tentans, pondus quinquaginta librarum a pueru sublatum, imo, licet difficilis paulo ad duorum pedum distantiam centum librarum pondus gestatum esse, ipse vidit.

9) *Observatio de prolapsu vteri inuersi, gangraena stipati, quem viginti octo mensibus post puerperium praeterlapsis gemelli secuti sunt* Auctore Cl. MAZARS DE CAZELES. Ad foeminam, vtero post laboriosum

F f 2 par-

* In diagnosi itaque error commissus esse videtur; quantum enim ex descriptione morbi coniicere licet, morbum non ad pleuritidem, sed ad dolores colicos referendum esse, arbitramur.

partum prolapso laborantem Cl. Auctor accersitus hinc inde gangraenae indicia deprehendit, variaque statim remedia applicuit. Partibus gangraenosis remotis et volumine, quod insigne fuit, imminuto, felici deinceps cum successu uterum reposuit et pessario rite firmavit. Mensibus aliquot abhinc praeterlapsis grauida euasit, iustoque tempore puellam postque biennium aliam rursus enixa est.

In mense Februario 1759 reperitur

p. 129. 4) *Observatio de puella obito annorum, quae sub initium morbi acuti subito coeca et muta euasit Auctore Cl. VANDERMONDE, huius diarii Editore.* Phaenomeni huius causam non in metastasi materiae morbificae, sed in vermibus quaesuit Noster, ideoque cum euacuantibus anthelminthica exhibuit. Hora vix praeterlapsa vox et visus aliquanto redierunt, sed eodem die coeca rursus et muta visa fuit aegra. Id Noster animaduertens efficaciora anthelminthica exhibuit. Quo facto duos vermes euomuit puella, hisque vix reiectis vox et visus paulatim redierunt.

p. 174. 9) *Litterae, quas ad Cl. VANDERMONDE, Editorem huius diarii dedit Cl. PETIT.* His variolarum insitio a suspicione, in quam casu aliquo venit, vindicatur. Anno nimirum 1758 rumor fuit, filiolum Cl. Delatur, in quo variolarum insitio bono cum successu suscepta fuit, veris denuo variolis correptum esse. Qua re percepta Noster Virique Cl. VERNAGE, FOURNIER, PETIT pater et SAINT-MARTIN ad aegrotantem se contulere statumque variolarum disquisiuerent. Variolis itaque accuratius examinatis, pustulas aqua tantum plenas repererunt; quapropter uno animo et voce una variolas istas pro spuriis habendas esse, pronuntiarunt. His autem plures, post superatas etiam variolas veras, corripi periculoque vacare, Noster ad experientiam prouocans afferit, siveque insi-

infitionem variolarum a suspicione morbi redeuntis liberatam esse, arbitratur.

In mense Martio 1759 deprehenduntur:

3) *Observationes de pluribus gangraenis a causa p. 209.*
interna Auctore Cl. DARLUE. His Cl. Auctor ostendit, in quibusnam gangraenae speciebus cortex peruvianus obesse vel prodesse soleat. In illa gangraenae specie, quam vehemens inflamatio praecessit, quae deinde effusiones lymphae, ut in anasarca sequitur et humida dicitur, quae porro sicca est, ut in senibus tandem, quae morbos excipit, ubi sanguinis principia disiuncta, succus neruorum dissipatus atque solidorum tonus oscillatorius destruetus est, corticem vel officere vel nullum saltem iuuamen adferre, arbitratur. In gangraena vero a putridis febribus malignis et pestilentialibus, fauicum affectionibus, angina, aphthis infantum etc. producta corticem peruvianum, in primis si aetio huius alcali volatilis vsu sustentetur, plura bona praestare Cl. Auctor concedit.

4) *Observatio de communicatione mali venerei p. 232.*
per viam rariorem Auctore Cl. LE NICOLAIS DU SAULSAY. Chirurgus ad foeminam, difficilem partu laborantem insimulque venerea lue infectam, accersitus et obstetricantis munere fungens paulo post scabie primo in digitis et brachio, tandem in toto corpore afficitur. Multis remediis in cassum adhibitis aliisque affectionibus venereis superuenientibus mercuriali vnguento se ipsum affricat aegrotans, quo usurpato pristinam sanitatem recuperavit. Simili labe, a marito communicata, vxor chirurgi affecta iisdemque remediis vsa conualuit.

5) *Meditationes et observationes medico - chirurgicae de curatione ranulae Auctore Cl. SOULLIER.* Huius morbi, qui glandularum sublingualium tumor est et a Gallo - Francis Grenouillette, Graecis Βατζακος vocatur, curationem purgantibus absolui,

Noster experientia confirmatus asserit, ita tamen, ut corpus pro diuersitate rerum varie antea praeparari iubeat. Ita si inflammatio adest, venaefectio et antiphlogistica, posthac purgantia usurpanda sunt; si deinde tumor irdolens et durus est humorumque visciditas scirhi ortum minitatur, saponacea, posthac purgantia propinanda sunt; sit tandem tumor mollis et oedematosus est, remedia, quibus quotidie hanc ob causam vtuntur, praemittenda tuncque purgantia exhibenda sunt.

p. 257. 6) *Litterae, quas de morbo filii Cl. Delatour, cuius in diario, Mercurio dicto, mense Decembri 1758 et Ianario 1759 mentio facta est, exarauit Cl. GAULARD.* Hisce variolarum status, quibus dictus aeger laborauit, describitur. Veris nimirum, discretis tamen et benignis variolis memoratum aegrum, licet ante aliquot annos infitione in eodem excitatae fuerint, denuo decubuisse, Noster refert, hacque occasione aliorum insuper mentionem facit, qui post variolarum infctionem, veris iterum variolis correpti fuerunt. Itaque infctionem variolarum a naturalium eruptione neutiquam praeservare, Noster colligit.

In mense Aprili 1759 occurrit:

p. 330. 6) *Observatio de effectibus bezoardici mineralis contra arsenicum Auctore Cl. DEHENNE.* Vir quinquaginta septem annorum quinque centenarios arsenici in puluerem rededit, omni cautione usus, ne puluerulentum aerem ore, naso oculisque hauriret. Hoc non obstante, altero die male se habuit, nausea, vomitu, ardore nasi, oculorum et faucium aliisque symptomatibus, ab arsenico ut plurimum prouenientibus, excruciatu. Lacte et oleosis remediis frustra fere usurpati, Noster demum accersitus omni bihorio decem grana bezoardici mineralis exhibuit et aquam hordei, lacte dilutam, superbibi insimulque oliuarum oleum usurpari iussit.

iussit. Duodecim dosibus dicti remedii assumtis post aliquot septimanas aeger conualuit.

8) *Obseruatio de sartocele insigni Auctore Cl. p. 349.*

MELLEE DE LA TOUCHE. Tumor hicce praeternaturalis vnum pedem, sex pollices sexque lineas longus fuit inque peripheria tres pedes, vnum pollicem et aliquot lineas habuit. Vir hocce morbo affectus et tunc temporis septuagesimum aetatis annum agens ante viginti annos istum pede accepit, quo facto tumor statim obortus tantam sensim magnitudinem acquisiuit.

10) *Obseruatio de polypo interno Auctore Cl. p. 354.*

QVARRE. Hic tantum notamus foeminam quandam insigni vteri polypo laborasse. hocque feliciter extirpato non solum pristinam sanitatem recuperrasse, sed grauidam etiam factam prima quidem vice abortiisse, posthac autem infantes viuos saluosque enixam esse.

12) *Litterae, quas de effectibus acrii veri in haemorrhagiis ad Editorem huius diarii dedit Cl. LEBEAU. p. 373.*

Ad fistendam haemorrhagiam narium drachmam semis radicis acrii veri seu sic dicti calami aromatici in puluerem redactae a Cl. Auctore bono cum successu exhibitam insimulque ad haemorrhagiam post abortum commendatam esse legimus.

In mense Maio 1759 reperiuntur:

3) *Litterae, quas de effectibus variolarum in generali p. 403;*

mellos ad Cl. VANDERMONDE dedit Cl. FVME. Foemina grauida variolis grauiter decumbit, morboque debellato gemellos parit, quorum alter mortuus pustulas variolosas habuit, alter autem viuus absque variolis in lucem prodiit postque tres dies obiit.

7) *Obseruatio de tumore calculoso a bile, intra contextum cellularium muscularum infimi ventris effusa, formato Auctore Cl. POMME, filio. Foemina quaedam hepatitide laborat, qua superata paulo* p. 432.

post vomitus biliosus superuenit insimulque sub costis spuriis lateris dextri tumor appetet, qui intra sex annos tantam magnitudinem acquirit, ut ad longitudinem muscularum abdominalium decurrens omne spatium a costis ad inguen usque occupet. Multis remediis externis incassum adhibitis sponte demum rumpitur tumor multique statim calculi vere biliosi exeunt. His egressis fistula remansit, per quam continuo materies biliosa effluxit, ita tamen, ut integra de reliquo sanitate frueretur aegra.

p. 438. 8) *Obseruatio de vitio singulari conformatio-*
nis muscularum posteriorum tibiae in cadavere reperto
Auctore Cl. VANDER MONDE, huius diarii Editore.
 Amputationem pedis dextri in cadavere, praesente Nostro, chirurgus quidam instituens cultrum, praeter consuetudinem, singulari cum facilitate musculos surae transire, sentit, reque accuratius examinata loco gastrocnemiorum et solaris nihil nisi adiposam materiem fibrasque tendinosas, tendinem Achillis constituentes, pinguedine disiunctas reperit. Pes iste, altero quodammodo breuior, nihil de reliquo notatu dignum exhibuit.

p. 441. 9) *Obseruatio de tumore, ad regionem umbilicalem*
lateris dextri sito, cui magna acus, in appendice vermi-
formi intestini coeci reperta, ortum praebuit Auctore
Cl. MESTIVIER. Tumore hoc aperto magna copia puris malae indolis exiit aliquoue tempore praeterlapso aeger obiit. Corpore aperto in processu vermiciformi magnam acum, crusta obductam atque hinc inde arrosam Cl. Auctor detexit.

10) *Descriptio febris putridae malignae, quae in non-*
nullis locis Insulae anno 158 regnauit Auctore Cl. SOU-
CHER. Quae hic describitur febris, omnibus putrida-
 rum et alcalescentium febrium symptomatibus stipata
 fuit et aegrotantes varie inuasit. Cum autem sin-
 gulare quid reperire ibi non licuerit, his superse-
 dere

dere et pauca tantum, quae ad curationem infra describendam, pertinent, hinc inde decerpere liceat.

In mense Iunio 1759 deprehenditur:

3) *Obseruatio de foemina, quae per septem annos, p. 510. neque aluum depositus, neque urinam emisit* Auctore Cl. GIGNOUX. Suppressio harum excretionum subito exorta contra omnia remedia rebellis persistit, ita, ut foemina per septem annos absque ullo dolore et absque ullo alio morbo lecto affixa nec aluum deponeret, nec urinam emitteret. Defectum harum excretionum suppleuit sudor copiosus et foetidissimus, qui quidem non continuus fuit, sed per periodos accessit, ita, ut unum alterumue raro tertium diem excederet et quoquis die duas tresue horas duraret. Tandem praeter omnem expectationem septimo anno alii urinaeque viis sponte apertis sudoreue cessante integrum sanitatem aegra recuperavit et ab eo tempore sex vel septem annos sana vixit alioque demum morbo affecta succubuit.

5) *Obseruatio de pluribus frustis ossis et glomere p. 516. pilorum in vesica repertis* Auctore Cl. DE LA RIVIERE, iuniore. Ad foeminam per septem annos de dolore in infimo ventre et dysuria insigni conquerentem accersitus chirurgus stilum in vesicam ad disquirendum immittit tuncque citra expectationem abscessum perforat, quo aperto magna fatis copia puris effluit. Leuatur inde quidem aegra, sed morbo non in melius mutato paulo post moritur. Corpore aperto vesicam, veterò adhaerentem inque ea complura frusta ossia, nec non globum pilorum, inter se intertextorum, reperiunt. De reliquo nihil notatu dignum obuenit.

7) *Continuatio descriptionis febris putridae malignae, p. 523. quae in nonnullis locis Insulae anno 1758 regnauit* Auctore Cl. SOUCHER. Quod ad huius morbi curationem pertinet, venaelectionem Noster non nisi plethora

vera vel peripneumonia, vt symptomate grauiori, urgente instituit inque morbi principio emetica atque in robustioribus quidem tartarum emeticum, in debilioribus autem ipecacuanham vel etiam celeritate pulsus, calore insigni, siccitate linguae, doloribus ventriculi etc. obstantibus purgantia antiphlogistica exhibuit atque ad ipsum morbum curandum acida mineralia dulcificata et corticis peruviani infusum vel decoctum usurpauit hacque curandi methodo multum boni praestitit. Praeter haec, quae primariam morbi curationem inuoluunt, alia etiam propinauit, quae vero, cum ex therapia generali dijudicanda veniant, lubenter omittimus.

P. 560. 7) *Litterae, quas de infante post infitionem variolarum mortuo, editorii huius diarii communicavit Auct. quidam anonymus.* Inferuerunt nimirum duobus infantibus variolas, hisque postea erumpentibus alter morbum superauit, alter vero die decimo sexto succubuit. Notatu dignum hic est, infisionem in eo, qui obiit, aliquoties tentatam fuisse, variolas vero non nisi eo tempore, quo in ipso fratre apparuerunt, erupisse.

X.

Classes conchyliorum Auct. CAROLO AVGVSTO DE BERGEN Med. Doct. et Prof. Publ. Ord. in Vniuersitate Viadrina, Acad. Imper. naturae curiosorum et regiae scient. Berolin. Socio, Haereditario in Rosengarthen. Norimbergae, apud Wolfg. Scharzkopfium, 1760. 4. pl. 16 $\frac{1}{2}$.

Collegit Cl. Auct. classes conchyliorum omnes, quas eruditi pro distribuendis ordinandisque testaceis et conchyliis litteris prodiderunt,

runt, easque in hoc libello commodioris utilitatis ergo iunctim tradidit. In laude esse hoc institutum, nemo negabit, partim ob summam industriam in colligendis his rebus, per integrum scriptorum bibliothecam quasi disseminatis, adhibendam; partim, ob raram in vtendis pretiosissimis libris occasionem; partim denique ob commodum lectoris, quod sine magnis sumptibus temporisque dispendio hanc historiae naturalis partem, nostra aetate permultis acceptam, sibi familiarem quodammodo reddere possit. Quae exhibentur conchyliorum classes vel methodo aliqua vniuersali confectae sunt, vel methodo particulari. Primus, qui vniuersalem testaceorum methodum condidit, est ARISTOTELES, illustris illae historiae naturalis perscrutator. Ut vniuersas naturae res, ita hanc in primis de testaceis doctrinam magna arte magnoque ingenio elaborauit; quippe in classibus suis constituendis non modo testarum, sed ipsius quoque animalis, testae inclusi, habuit rationem. Κοχλοι, vmbilici ei sunt, peculiare aliquod conchyliorum genus, cum tamen fatis sit perspectum, eos proprie nihil aliud, quam quorundam turbinatorum esse opercula. De Cocalia, quale sit conchyliorum genus Cl. Auctor nihil certi definire potuit, quia Graeci per κοκαλιαν omnis generis animantia, quae in conchylis inhabitant, intelligere solent. Sequitur PLINII testaceorum dispositio paululum confusa, nec tanta industria felicique successu, quam ARISTOTELIS, constructa; siquidem tot quasi genera recenset, quot figurarum discrimina et dissimilitudines comprehendere poterat, in quibus enarrandis Cl. Auctor eius commentatorem FISCHERVM secutus est. ARISTOTELIS placita GESNERVS in testaceis distribuendis maximam partem exceptit; quae ei propria est classis anomala continet, ad quam tamen per errorem stellas marinas retulit. Hanc GESNERI dispositi-

dispositionem amplexus est ALDROVANDVS, nisi quod classem anomalw omiserit ordinemque inuerterit. IONSTONO eadem distribuendorum conchyliorum ratio placuit, excepta prima classe, quam paullo curatius subdiuidit. In CHARLETONI methodo consueta summorum generum enumeratio obtinet; in nomenclaturas potius, quam in testarum discrimina inquirit. Nouam conchyliorum MAIOR aggressus est dispositionem; qua duas classes summas constituit; verum ramistica dichotomia nimis delectatus conchyliorum ordinem potius confusam, reddidit, quam utilem. In terminis quidem admodum abundans, sed in rebus non item. SIBBALDV^S a loco natali in terrestria, aquatica est marina conchylia satis incommode diuidit. BUONNANNVS vniualium, non turbinorum biualium et non turbinorum classes fecit, sed incautus saepe necessaria omisit, atque aliena immiscuit. Longe accuratiorem et diligentiorem TOURNEFORTIUS condidit testaceorum methodum. Testacea omnia ad tres classes reuocauit, sunt enim vel monotoma vel ditoma vel polytoma; monotoma, quorum testa est indiuisa, sunt vel vniualvia, vel spiralia vel fistulosa. Ditoma geminas habent testas ad cardinem connexas, vel arcte clausas, vel utrinque hiantes. Polytoma sunt, quorum testae ex pluribus partibus vel articulatis vel per cartilaginem coniunctis constant. Testaceorum, quae in insula Amboina reperiuntur, dispositio non tam RUMPHIO, quam eius amico SIMANNO tribuenda est. Ipsa quidem collectio multis ornata est rebus, sed non adeo apte dispositis. CAR. NIC. LANGIVS magnam in generibus inferioribus distribuendis definiendisque praebuit industriam, quippe qui conchylia ex valuarum numero, superficierum conditione et turbinum variatione tam accurate ad examen reuocauit, vt ante

ante eum vix vllus reperiatur, qui tam subtiliter de testaceis disputasset. Errauit tamen in disponendis conchis anatiferis, vmbilicis marinis, et in eo potissimum, quod nautilum et ammonis cornua ex turbinatorum numero excludere voluit. Methodus eius tribus continetur partibus generalibus, quarum quaeque suas habet classes, sectiones, genera, generumque definitiones. IO CHR. KVNDMANNVS satis concinnam excogitauit methodum, est tamen in subdiuidendis quibusdam generibus nimis prolixus; quod in secunda classe biualvia cum vniuersalibus coniungit in vitio est; in definiendis generibus accuratus, in speciebus paullulum breuis. Methodus testaceorum FRANC. VALENTINI quondam verb. diuini ministri in insula Amboina noua non est, sed BUONNANI; delectant imagines, quae exquisite elaboratae sunt. IOH. ERN. HEBENSTREIT testaceorum et conchyliorum differentiam esse statuit, et prioribus ampliorem significatum tribuit; quae tamen distinctio non magni momenti esse videtur. Porro echinometra ex conchyliorum numero excludit. IOH. PHIL. BREYNIVS belemnites iure, quidem ex conchyliorum ordine dicit; verum quia haec petrefacta conchylia inter testacea marina frustra sunt quaesita, poterit aliquis dubitare, an eorum structura ex petrefactis speciminiibus perspicue possit illustrari. Idem dicendum esse videtur de orthoceratibus. LINNAEI methodus testaceorum in Syst. nat. Lugd. Bat. 1735 tradita, nimis breuis est, nullasque species continet, sequentibus tamen huius libri editionibus valde aucta et correcta est. D'ARGENVILLE quas recensuit, speciebus magnam varietatum copiam adiunxit. Sed in eo nullam laudem meretur, quod saepe veras species varietatibus adnumeravit, et quae merae varietates sunt, pro veris speciebus habuit. Nec indubia res est, vtrum pollicipedes genuina sint chamarum, mytulorum, ostrearum, rudimenta,

nec

nec ne. Splendidum est NIC. GVALTIERI opus, testaceorum methodum continens. AN LANGII methodum, quam hic correctam et emendatam tradere conatus est, vere correxit, intelligenti lectori ad iudicandum Cl. Aucto^r relinquit. De methodo testaceorum anonymi, quae in catalogo rerum naturalium Lips. 1743. auctionis lege venditarum, prostat, nullum tulit iudicium. FRID. CHRISTIAN. LESSERVS in generum definitionibus breuitatis studium aemulatur, genera nimis extendit et saepe species cum varietatibus confundit. CAR. LINNAEVS systemate naturae edit. 4ta, microcosmum testaceis adnumerat, sed, qua ratione? non constat. Hoc verum est, eum diuersissima animalia interdum sub uno comprehendere nomine. Immensum est interim discrimen inter KLEINII methodum ostracologicam et LINNAEI methodum, ille enim ex LINNAEI speciebus totidem et plures fingit classes Cl. Auctori videtur, nec species, neque classes esse posse testacea, sed genera. Attamen laude celebranda est LINNAEI industria, quod animalium testis inhabitantium nomina addiderit. IAC. THEOD. KLEINIUS classes, genera et species nimium multiplicat, quae species sunt, generibus adnumeravit et ex generibus quibusdam classes constituit; in nouis terminis, quos generibus imposuit, idem saepe commisit vitium, quod LINNAEO tantopere exprobrait. Ordinum specierum optima est distin^{tio}. Methodi testaceorum insulae Iamaicae PATRIC. BROUNE sciagraphiam tantum tradit Cl. Aucto^r, ipso auctoris libro destitutus. Laudat ordines rerum scite digestos.

Tantum de vniuersalibus methodis. Sequuntur particulares. LISTERI methodus cochlearum terrestrium et fluuiatilium prima est, qua genera inferiora sine ratione extendit. Quantum pretium ei sit statuendum, FISCHERI verbis super hac methodo

methodo declarat. Reliquae particulares methodi sunt: Methodus cochlearum marinorum LISTERI; methodus specialis turbinatorum I. E. HEBENSTREIT; methodus tubulorum marinorum IAC. THEOD. KLEINII; methodus particularis polythalamiorum I. P. BREYNII; eiusdem methodus particularis echinorum; methodus echinodermatum a diuerso exitus situ KLEINII; eiusdem methodus echinodermatum ab oris situ desumpta; eiusdem methodus aculeorum in echinis; methodus concharum fluuiatilium D'ARGENVILLE; eiusdem methodus concharum terrestrium; methodus cochlearum anonymi. Appendicis loco subiunguntur conchae et cochleae tam terrestres, quam lacustres Marchiae et Viadri, quas cum Cl. Auctore RICHTERVS V. D. minister communicauit.

XI.

ANTONII DE HAEN, Consiliarii Aulici ac Medicin. Practic. in Vniuers. Prof. Prim. theses sistentes febrium diuisiones, natamque ea de causa de miliaribus ac petechiis, caeterisque febrilibus exanthematibus dissertationem etc. Vindobonae, typis Ioan. Thomae Trattner, 1700. 8. pl. 9 $\frac{1}{2}$.

Similem dissertationem iam in praecedenti parte indicauimus, ibique causas nos allegare meminimus *, quibus commotus ill. Auctor haec themata ad vtramque elegit. His nouam in praefamine addit. Cum enim ille angusto nimis temporis spatio pathologiam tradere coactus sit, fieri non potest, quin plura fugitiuo interdum transeat pede. Ad haec nunc recurrere, omissa addere, fusiisque pertractare constituit.

Varia

* In hac ipso Volumine, Part. II. p. 342.

p. 1. Varia sunt fundamenta, ex quibus febres possunt diuidi. Haec ill. Auctor in *vndecim* diuisiones est complexus. *Princae* diuisionis fundamentum est periculum, quod in febribus vel abest, vel adest, atque vel celerius vel lentius procedit; hinc febres chronicæ et acutæ, hæ denuo diuiduntur in acutissimas, peracutas et simpliciter acutas.

Ex aegrorum numero, qui eodem loco ac tempore decumbunt, desumitur *secunda* diuiso in febres sporadicæ ac epidemicas; ad has referuntur quoque endemiae et stationariae.

p. 3. In *tertia* diuisione respicitur ad febrium naturam et primaria symptomata. Huc pertinent febres, ἡπίαλας, λειπυρίας, αστωθης, τυφωθες, ἔκτικα, Φρικώθης, μαχαζμώθης et similes. Ἑπίαλας aliter ab **HIPPOCRATE**, aliter a **GALENO** describitur; utriusque vero descriptionem assunit ill. Auctor et ingeniose combinat. Est vero illa febris, vbi aegrotus de continuo frigore conqueritur, thermometer autem aegroto applicatum calorem naturali maiorem ostendit. Saepius illam vidit ill. Auctor.

p. 8. Tempus, quod febres perdurare solent, *quartae* diuisioni largitur fundamentum, secundum quod quatuor constituuntur classes, quarum prima febres continuas non putridas, altera putridas acutas non remittentes, tertia febres συνεχείς continuas remittentes, quarta denique intermittentes continet. Ad primam classem pertinet ἐΦεμενή, ἐΦεμερή protracta, σύνοχος non putrida; ad alteram σύνοχος putrida, vel semper aequaliter decurrentis, vel semper ascendens, vel semper descendens; ad tertiam καυσός vel febris ardens, semitertiana, τριταῖοφυς et denique ad quartam, quotidiana, omnes tertianæ quartanaeque species, quintana, sextana, septana, octana, ab Auctore semel observata, et nonana. Trimestris et annua valde dubia nobis

nobis videtur. Ut praecedentia magis illustraret Ill. Auctor, scholia quaedam subiunxit, in quibus Ill. VAN SWIETEN febrium distributionem secutus, naturam in primis complicatarum explanavit. Collegit tandem in scholio sexto harum febrium signa pathiognomonica: Febris ardens aestum intensiore et symptomata grauiora habet, eo que ab hemitritaea et tritaeophyia differt. Apyrexiae quaedam et horror quotidianus fundamentum praebent, quo tertiana duplicata distinguitur ab hemitritaea, in qua alterno tantum die horror obseruatur.

Quinta diuisio complectitur febres inflammatorias e. g. febrim anginosam, phreniticam, peripneumonicam etc.

Amplissimus est Auctor in *sexta diuisione*, qua p. 19. febres, exanthematibus constipatas, comprehendit. Prima est *erysipelatosa*. Haec interdum, parum constans, sine errore vel medici vel aegroti fugit reditque, nec non acrimonia sua insigni partibus carnosis noxam inducit. Altera est *scarlatina*, perse leuis ut plurimum, interdum tamen periculosa, quam 1748 et 49 Hagae Batauorum saeuuisse, carnes in vlcera maligna et ossa in cariem pessimam conuertentem legimus. Adoritur haec febris non solum infantes, sed et adultos. Tertia est febris *petechialis*, a qua Austria et Hungaria vicinaeque regiones nunquam fere liberae sunt, cuius vero in his regionibus frequentia non aeris vel loci temperiei, sed inepto a medicis imperato regimini calidiori tribuitur; quae methodus ita quondam placuit, ut statim ac quaedam malignitatis species, falso licet quam saepissime, subesse crederetur, fratres misericordiae accerterentur apta secum adferentes inuolucra loris adducenda fibulisque, quibus incarcerarent aegros, ne vlo admisso frigidiusculo, aut temperato aere exanthematum eruptio, quam ii sapientissime praeuidere sibi videbantur,

impediretur. Periculosa autem haec methodus ortum duxit ex eo, quod haec exanthemata opus naturae crisi molientis esse crederentur, cum Auctor illa e contrario fictae potius malignitatis et curationis peruersae effectus, eo vel in primis tempore, quando nulli obseruentur morbi pestilentiales, esse iudicat; idque nostra quidem sententia summo p. 39. iure. Idem sentit de *miliaribus*, quae, itidem frequentius mala arte progigni, sponte longe rarius, ratione et experientia suffultus affirmat. Hinc affolet in plurimis aegris prorsus negligere haec exanthemata, aegrotos ex lectis quotidie eximere, si vires non sufficient, certe in lectis erigere, quam leuissime stragulis obtegere, reiectisque bezoardicis, diaphoreticisque, diluentia, et expectorantia copiose propinare. Quae methodus * tam prospere ubique cessit, ut in nosocomio fratum misericordiae, in quo nimirum quotannis circiter ex centum aegris acute febrentibus triginta exanthemata experti fuissent, nunc mutato regimine medendique genere, intra biennium, sex modo ea sustulerint, et numerus eorum, quos annis praecedentibus acuti morbi ibidem morti dare solebant, iam ad quintam partem cum semisse imminutus sit. Monet quoque Ill. Auctor medicos, ut, si forte ad aegrotos vocarentur, qui sibi ipsi ab initio morbi exanthemata haec per regimen calidum contraxissent, nulla horum habita ratione sine metu illud statim mutent diluentiaque copiose propinent et in casibus desperatis ad corticem Peruianum confugiant. Miliaria exanthemata triginta annos ante Lipsiensem epocham Gallis iam cognita fuisse, loco quodam in RIVERII praxi medica reperto commotus Ill. Auctor credere videtur; sed, si ille locus de miliaribus est interpretandus, sequitur, iam longe.

* Eandem quoque suadet in *ratione sua medendi*, quam et nos excerpere meminimus in hoc ipso Vol. P. I. p. 88.

longe ante RIVERIVM ea P. SALIVM DIVERSVM nouisse, illorumque in tractatu de febre pestilenti meminisse, (quod etiam annotauit ALLIONIVS *.) nec itaque triginta, sed septuaginta ante, quam Lipsiae apparere coeperint, obseruata fuisse. Quinta ex harum febrium genere est *variolosa*. Vulgarem illarum diuisionem in regulares et anomalas et Auctor recipit, regulares vero in tres species subdiuidens: in discretas, confluentes et cohaerentes, inter vtrasque praecedentes medium genus constituentes, quarum quippe papulae licet non confluant, denso tamen agmine corpus adeo occupant et ita propinquae sibi inuicem sunt, ut pluribus in locis racematis cohaereant. Febris harum cohaerentium peior, quam discretarum, melior vero quam confluentium existit. Disquirit hac occasione Auctor causam intumescentiae tensionisque cutis in variolis: materiam virulentam variolarum natura quidem in variolas colligere intendit; cum illius vero tanta est abundantia, ut papulae, etsi copiosae, eam recipere nequeant, reliquam reponit in substantiam cellulosam, ibique coquit, coctamque deinde vel per ptyalismum, vel per diarrhoeam, vel, praegressa metastasi ad pedes et manus per transpirationem pustularum e corpore eiicit. Comprobare id videtur noua et repetita vesicularum discissarum repletio, quam disissionem Auctorem valdopere et ex hoc quidem capite suadere, alio loco iam annotauimus **. Saliuatio non solum in variolis confluentibus, sed et interdum in discretis, imo in febribus variolosis sine variolis obseruatur. Sexta febris est *morbillosa*, in cuius curatione, quae ab ea, in variolis modo laudata, parum differt, requiruntur venae ectio, refrigerantia, diluentia, demulcentia, enemata,

Gg 2 crurum

p. 103.

* In tractatu de miliarium origine, progressu, natura et curatione. Aug. Taurin. 1758. 8. p. 73.

** vid. Comment. nostr. Vol. IX. P. I. p. 95.

crurum reliquarumque partium exarescentium
fotus et balnea. Tempore epidemico, quo mor-
billi et variolae simul regnant, prognosis futuri
morbi difficultis est. Vedit etiam Auctor vno eodem
que tempore morbillis et variolis simul obrutum,
in alio morbillos nondum cunctos profligatos sequen-
tas variolas. Puellam scabiosam a pristino malo
non liberarunt morbilli, scabies quippe longe fero-
cior post morbillos curatos rediit. Idem et nobis
binis in puellis post variolas feliciter superatas et
scabiem simul curasse visas, nuper demum obser-
uare contigit. Addit Auctor his febrium exanthe-
maticarum speciebus aliam, de cuius nomine dubius
est, vtrum *ignem sacrum* vel *ighem S. Antonii*, an
innominatam appellare conueniat. Febris non raro
valida oritur cum dolore in alterutrius lateris ab-
dominis plaga. Die iam 1, vel 2, vel 3 maculae
rubrae apparent, cito increcentes ad magnitudi-
nem variolarum discretarum, his tamen interdum
altiores fiunt, et racematis hic cohaerent, illic
intersticiis magnis vacuis relictis. Semper in alte-
rutto abdominis latere tantum obseruantur, nec
vnquam lineae albae spinaeque dorsi fines trans-
gredi solent. Aegrotus, cuius Viennae Auctor
curam habuit, haec exanthemata non in abdomen,
sed in altero faciei latere fuit perpeccus. Cum sup-
purare soleant hae pustulae, adstringentibus et
saturninis eae non sunt exsiccandae, praestat, fotibus
et emollientibus vnguentis has fouere, de reli-
quo antiphlogistica curatio reliquis praeferrri debet.
Pertinent huc quoque maculae rubrae vnum duosue
digitos latae et supra cutis superficiem exstantes,
in iis obseruatae, quibus a variis causis ingens
nascitur sanguinis putredo. Hae intra paucos dies
mortem praenuntiant.

Septima diuisio febres stationarias et intercur- P. 117.

rentes comprehendit, de quibus optime SYDENHAM et HVXHAM egerunt. Febres stationariae et epidemicæ synonyma sunt, itaque plures simul vno tempore vna eademque regione inuadunt homines, quae vero tunc temporis nonnullos modo adoruntur, intercurrentes vocantur. Harum curatio non ex sua indole, sed ex natura febris stationariae est instituenda. Rem illustrat exemplum ex SYDENHAMIO allatum. Anno 1675 stationaria febris erat continua, quae vix vnam alteramque venae-sectionem permitteret; inter morbos intercurrentes obseruabatur pleuritis; haec ex eius natura repetitam requirere videbatur venae-sectionem. Sed pessime cum iis aegrotis agebatur, quibus aliquoties vena tundebatur, in morbo quippe stationario venae-sectionio repetita non conducebat, ideoque etiam non in morbo intercurrente. Hanc regulam siue regularum therapiæ generalis exceptionem, quae limatum exposcit iudicium, veram quidem esse, nihilominus tamen interdum admittere nouam exceptionem, ex constitutione epidemica Hagana, 1747, edocetus asserit Auctor. Saeuiebat febris anomala ac vere maligna. Hac febre decumbentibus optimo erant auxilio decoctum totius altheæ et enemata emollientia. Intercurrebant his febribus dysenteria, scarlatina, angina contagiosa. In hac dysenteria nec emetica, nec rhabarbarum, nec myrobalani, nec adstringentia ne cortex quidem simaroubae, quidquam valebant. Sola demulcentia, inuoluentia, et ori et ano immissa (remedia, quae morbo stationario conueniebant) omnem absoluiebant curam. Ab hac itaque parte legis supra latae appetet veritas. Reliqui vero intercurrentes morbi, scarlatina et angina, his remediis valde exacerbabantur, vsque dum Auctor didicisset, his purgationem

Gg 3 aluinam

aluinam optime prodesse. En exceptionis factae a therapia generali nouam exceptionem!

Omnes febres continuas putridas, continuas remittentes, etiam inflammatorias, in malignas et benignas diuidi et quare ita dispescantur, in octaua diuisione docet Auctor.

p. 129. Obseruantur quoque interdum febres intermitentes, quae ab harum natura, quam longissime recedere videntur, re ipsa tamen genuinae sunt et ut tales tractandae. De harum periculo, quod insigne est, monet Ill. Auctor summopere in *nona* diuisione. Mentiuntur hae febres apoplexias, pleuritides, colicas et omnes morbos inflammatorios. Inuadunt aegrotos vehementoribus quidem symptomatibus, quae vero statim euanescent, tertio die redeunt abeuntque, tertio vel quarto autem paroxysmo aegrotos enecant. Omne auxilium in his a cortice peruviano est repetendum, quem quam citissime propinare conuenit.

In *decima* diuisione exponit Auctor febrim sine febre, siue febrim topicam, cuius exemplum quoddam in nosocomio Viennensi habuit.

In *undecimam* diuisionem tandem illas colligit febres, quas ad certam speciem referre, et idoneo nomine appellare nequiuit.



XII.

Historia medica morbi epidemici siue febris petechialis, quae ab anno 1757 fere finiente usque ad annum 1759 Viennae grassata est. Cui adiecta notabilium obseruationum anatomicarum decas. Auctore IOANN. GEORG. HASENOEHRL, nosocomii Hispanici medico. Vindobonae, typis Ioan. Thom. Trattner. 1760. 8. plag. 5¹.

Morbum petechiale, cuius Ill. DE HAEN in tractatu suo praecedenti inter ceteras febres brevibus tantum, aliud quippe exponens argumentum, meminit, nunc illius discipulus hoc in libello copiosius persequitur omnemque illius historiam exhibit, quam eo maiori cum voluptate perlegimus, quo plures morbi istius truculenti descriptiones ut promulgarentur et in nostrum commodum optamus. Cum etenim idem morbus et nostris regionibus eodem tempore fatalis fuerit, magnasque inter nostros ediderit strages, iam dudum consilium cepimus, descriptionem morbi illius, quam ex collectis nostris plurimorumque amicorum obseruationibus concinnauiimus, cum orbe eruditio communicandi. Studiose itaque omnia scripta colligere atque peruvoluere solemus, quae morbi istius mentionem faciunt, eo quidem consilio, ut inde edoceamur, vtrum morbus in nostris regionibus grassatus ab iis, qui in aliis saevierunt, abluferit, nec ne, et quanta inter hos fuerit discrepancia.

De morborum epidemiorum endemiorumque definitione, causa et differentia facta breui in *capite primo* introductione, morbum ipsum in *capite secundo* enarrat Cl. Auctor. Incipiebat morbus ille mensis nouembri et decembri anni 1757. Impetus

eijs in aliis leuior, in aliis grauior erat. In illis obseruabatur coryza, capitis dolor obtusus, alii dolores rheumatici vagi, anxietas praecordiorum, leuis nausea, vomituritio, quarto, certe septimo die macularum grata rubrarum eruptio, qua facta reliqua symptomata vel mitescabant, vel euanescebant viresque aegroti refocillatae increscebant, decimo demum, vel quarto, vel sexto exanthematicis disparentibus aegrotus pristinam recuperabat sanitatem. In his vero, qui malignorem experientur morbum, ab initio subita et ingens virium deiectio, artuum languor, capitis grauitas, ciborum fastidium, sitis pauca vel nulla, leues horripilationum aestuumque vicissitudines, pulsus naturali celerior. Haec symptomata per quatriduum eodem tenore perseuerabant, deinde vero increscabant accedebantque maior corporis lassitudo, tinnitus et susurrus aurium, anxietas praecordiorum, respiratio anxia vel tussi diffcili intercepta, vel cum dolore punctorio lateris coniuncta, abalienatio mentis interdum ad furorem aucta, subsultus tendinum, in aliis vigiliae diuturnae, in aliis somnolentia continua soporque profundus, exanthemata vel nulla, vel purpurea, liuida, nigra, interdum profunde sub cute sita, interdum parum constantia, diarrhoea, parotides, bubones, gangraena. Sanguis in his morbis e vena missus in paucis fluidus et resolutus, in plurimis spissus denique crusta inflammatoria obductus apparebat. Hinc a petechiis non semper ad sanguinem resolutum concludere licet, simulque exinde patet, quam necessaria his in morbis exanthematicis venaelectio esse possit. Ipsi Auctori, eodem hoc morbo grauiter decumbenti, ter vena secca sanguisque non sine crusta phlogistica fuit. Duo cadavera hoc morbo demortuorum Auctor quidem incidit, nihil vero, quod memoratu dignum fuisset,

fuisse, vel ad morbi intimorem cognitionem, quid contulisset, reperit; in altero omnia viscera sana erant, pulmo tantum atro spisso sanguine infarctus; in altero omentum et intestina flaccida et semiputrida sanguisque dissolutus fuscus; huic camphora, illi cortex Peruuianus propinatus fuerat. Curae initium in hoc morbo plerumque a venae-sectione factum fuit, habita tamen aegroti et pulsus ratione; aliis vna sufficiebat, aliis duae tresue; tempus illius varium erat, in aliis ab initio morbi, in aliis in $\alpha\kappa\mu\eta$; interdum quoque praesentibus exanthematibus, venam secare licere, Cl. Auctor exemplo aegroti probat, cui decimo quarto morbi die, cute copiosissimis conspersa maculis vena tusa fuit. Licet faburra in primis viis haerere morbumque augere possit, et inde vomitoria et purgantia fomitem eius exturbatura videantur, in hoc tamen morbo ea rarius exhibita fuerunt, cum raro illa necessitas postulauit; data enim vomitoria vel sponte oborta diarrhoea morbum, nec ab exanthematibus liberum, nec mitiorem, e contrario gravorem reddiderunt, ita ut diarrhoea quoquis morbi tempore paregoricis vel prorsus cohibenda vel moderanda fuerit; quod nunquam sine aegrorum emolumento factum fuisse, Cl. Auctor affirmat nonnullisque exemplis probat. Plus solaminis auxiliique attulit copiosus potus ex decocto hordei faccharo vel syrupo edulcorato, itemque ex decoctis radicis graminis, scorzonerae, acetosae etc. Mirum quoque conduxit serum lactis vinosum, vel aqua, mixta cum tertia parte ipsius lactis. Camphora, moscho, radice serpentariae Virginiana, contrayeruae, vincetoxici et spiritibus acidis mineralibus non nulli quidem, qui leuius aegrotabant, sanati fuerunt; grauiori vero morbo correptis haec non suffecerunt; vsque dum Ill. AB

HAEN de cortico Peruuiano prouulgauisset, summae hunc esse in his morbis efficacie atque virtutis, quam Cl. Auctor ipse quoque, cum decumberet hoc morbo expertus laudat; assumferat vero extracti illius quotidie vnciam vnam. Non nullos ex hoc morbo, conualitos in eundem, sine praegresso errore, relapsos fuisse narrat Cl. Auctor, quibus tamen infusum ex ligno sassafras, melle edulcoratum, profuit, sed nulli eorum id contigit, qui corticem Peruuianum in morbo assumferant. Remediis indicatis adiuncta fuerunt pro re nata clysmata emollientia, epispastica vel vesicatoria, ad quietem et somnum inducendum paregorica vespere potissimum propinata. Praeter haec medicamenta aegri ad vitam sustentandam vesciti sunt cibis eupeptis iusculis vel in primis auenaceis, hordeaceis vel et carnium, succo citri correctis.

Coronidis loco Cl. Auctor sectiones nonnullorum, aliis morbis demortuorum, subiungit, ex quibus sequentes dignae nobis videntur, quas breuiter tangamus.

Pleuritide occisus praeter inflamatam pleuram, pulmonem crusta lardeacea obductum atque cor hirsutum pilosum eadem crusta obuolutum exhibuit.

Foemina, quinquaginta septem annorum, spiritus vini usui largiori adsueta, per omnem vitam saepius vomuerat, raroque excrementa consueto modo deposuerat, intra anni denique spatium quotidie sexies, septies, imo pluries per os reddebat, quodcumque adsumferat. In hac mortua omnia intestina tenuia et crassa ita coarctata reperiebantur, ut vix digitum admitterent, ventriculus e contrario ita expansus, ut os pubis attingeret atque viginti mensuras aquae caperet.

In foemina, quadraginta trium annorum, quae saepius redeuntibus doloribus ventris acerbissimis
excruci-

excruciabatur et paucas ante mortem horas sanguinem ex ore et naribus reddebat, ventriculus post mortem sanguine repletus, pancreas vero omne durum scirrhosum et vlcuseculis cancro sis, quae vicinas ventriculi tunicas arrosisse videbantur, passim obsitum, repertum fuit.

XIII.

ANTONII STOERCK, Med. Viennensis et in nosocomio Pazmariano Physici Ord. annus medicus, quo fistuntur obseruationes circa morbos acutos et chronicos, adiiciunturque eorum curationes et quaedam anatomicae cadauerum sectiones. Vindobonae, typis Ioan. Th. Trattner. 1759. 8. plag. 11¹.

Binis praecedentibus libellis nunc tertium addimus, quem, quod illius eiusdemque morbi epidemic symptomata et curationem exponat, hunc locum optime mereri arbitramur. Cl. enim STOERCK cum videret, medicos, qui curam nosocomiorum gerunt, plerumque negligentiae et nimiae temeritatis argui, opprobrium illud optime se effugiturum esse credidit, si statim ac curam nosocomii Pazmariani suscepisset, omnia, quaecunque suo praesidio in illo peragerentur, sedulo annotaret, diligenter describeret, lucique publicae exponeret adeoque omnem litterarium orbem rerum a se auctarum iudicem ac arbitrum eligeret. Ex hoc igitur valdopere laudando instituto, et, quod omnes medici imitentur, digno, ortus est libellus, cuius primaria momenta nos nunc breuiter sumus excerpturi. Cum vero morborum acutorum plurimi intra mensis spatium terminari soleant, in his describendis eum ordinem Cl. Auctor seruat, ut enarret,

enarret, quod per singulos menses notatu dignum obseruauerit, adiecta interdum, sed rarius, causarum disquisitione breui. His obseruationibus tabulam praemittit, quae indicat, quot singulo mense acute decubuerunt et ex his quot mortui sunt. Incipit vero libellus a decimo mensis iulii die anni 1758, ex quo quippe Cl. Auctori auspicatus est hoc munus, et eiusdem mensis secundo anni 1759 finitur, annum comprehendens spatium, quod ob morbum miliarem et petechialem, qui tunc temporis in primis saeuierunt; famam in orbe medico est consecutum. Quicquid vero de non nullis morbis chronicis Cl. Auctori notatu dignum visum fuit, postea seorsim exponit, cui deinde anatomicas sectiones, quarum viginti deprehendimus, et denique medicamentorum formulas, quibus in nosocomio isto usus est, adiicit. Ne vero cramben bis coctam apponamus, ex Cl. Auctoris de morbis his acutis conscriptis obseruationibus non nullas tantum et eas quidem nullo obseruato ordine repetemus, quas Auctores praecedentium libellorum, vel non annotarunt, vel in quibus a Nostro recedere videntur.

p.7.56. Post morbum petechialem remanens amaurosis et auditus grauitas vesicatorio nuchae applicato et remedio dato purgante curata fuit; et hunc morbum superatum secutos sudores nocturnos diaeta p.3.15.reficiens et infusum saluiae sustulit. Non nisi per sat graues causas, quae in his morbis raro adfuerunt, Cl. Auctori induci potuit, vt venaefectionem permitteret, quod videret, ex vnica interdum venaefectione vires aegrotorum adeo imminutas fuisse, vt irritantibus medicamentis postea excitandae fuerint, illique aegroti ex morbo conualescentes longius ac alii, temporis spatium in colligendis viribus consumferint. Venaefectionis repetendae rarissime obuenit necessitas. Febris moderamen saepius

saepius sine venaefectione praestiterunt apozemata
 antiphlogistica. Solo sero lactis, pro ratione virium
 aegroti plus minus vinoſo, multi ex morbo conua-
 luerunt, cuius libris quatuor, si adfuerunt signa
 resolutionis sanguinis putredinosae, adiecit vncias
 tres syrapi diacodii et drachm. vnam spiritus ful-
 phuris per campanam eliciti, et omni hora vncias
 tres vel quatuor assumi iussit. Absque syrupo hoc
 medicamen stranguriam et diarrhoeam forte ob
 combinationem spiritus sulphuris cum fero, per
 vinum affusum facto, excitauit. In conuulsioni-
 bus paregorica sine camphora, et haec sine illis et
 epispasticis nihil valuerunt. Quibus somnum adime-
 bat morbus, iis vnc. vna syr. diacod. illum concilia-
 bat; haec dosis tamen et quaternis etiam horis
 repetita non sufficiebat in quodam aegro, petechiis
 obruto, qui nulla grauia expertus symptomata ad
 septimum vsque diem leuiter aegrotare videbatur:
 nec hoc die symptomata increſcebant, nec graui-
 ra accedebant praeter hoc vnicum, quod aeger ab
 hoc die clamare et canere vsque incipiebat. Coer-
 cuit tandem hoc singularis generis delirium, quod
 soli inordinato spirituum vitalium motui tribuit
 Cl. Auctor, potionē ex aqu. menth. vnc. vna, syr.
 diacod. vnc. semis. laud. liq. SYDENH. gutt. 40
 composita vnoque haustu sumta, et aeger breui
 post conualuit. Qui, non statim, atque ex hoc
 morbo petechiali et miliari conualuerant, nosoco-
 miis egressi fuerant, in veram scorbuticam incide-
 runt labem, ex qua eos corporis motus in aere
 puriori, medicamenta antiscorbutica et omni quar-
 to die datum purgans reduxere. Nonnullos in-
 terim, vel in primis, qui omnem corporis exer-
 citationem evitauerant, perniciosa huius morbi
 vis consumſit.

p. 22.

Multi,

p. 26. Multi, qui mense septembri febre hac acuta decumbebant, quotidianam intermittentem simul fuerunt experti. Quia vero viribus aegroti parcendum erat, hanc febrem sine mora cortice Peruuiano suppressore conducebat, iis enim consumtis, metus non inanis erat, ne aegrotum subsequens paroxysmus trucidaret. Prior interim morbus, intermittente fugata, sine grauioribus symptomatibus leuiter processit. In hoc quoque mense singultus exanthematum eruptionem praecessit, hac vero facta, euanuit sponte, in unico aegro eruptioni fuit superstes.

p. 42. Miliaria exanthemata in ieterica acute simul febriente aegra aequa alba fuerunt, ac in aliis.

p. 48. Saeuiit mense ianuario 1759 morbus singularis indolis: non valida febris, non magna sitis, nec ciborum appetitus sublatus, sed solummodo virium languor, capitis grauitas ac temulentia, diarrhoea leuior, foetida tamen, obseruabatur. Haec symptomata perdurabant ad septimum diem, a quo febris augebatur, capitis grauitas abibat in dolorem acutum, quem tamen paucis horis post excipiebat sopor profundus; sequentibus diebus fugacia conspiciebantur mox in hac, mox in illa corporis parte, exanthemata vel miliaria, vel petechalia; decimo demum die subita febris remissio, pulsus intermissio extremeruinque frigus mortem in propinquo esse praenuntiabant. Si morbus curationem admittebat, illam emulsiones camphoratae, infusum rad. serpentar, contray. etf. atque vesicatoria nuchae et plantis pedum statim ab initio morbi applicata praestabant.

p. 15. Mensibus augusto 1758, maio et martio 1759 adeo necessaria fuerunt in plurimis aegris vomitoria, vt ea, si ab initio morbi neglecta fuerant, praesentibus iam exanthematibus propinari debuerint, quo nimirum diarrhoea praecaueri et aegri a continua

tinua praecordiorum anxietate liberari potuerint, quod Cl. Auctor exemplo viri, vnius et sexaginta annorum comprobat. Tres herniae et summa senectus in hoc aegro, qui non solum ab initio, sed et in progressu febris putridae, continuis vomiturbationibus affligebatur, vomitoria interdicere videbantur, sed cum omnia in peius ruerent symptomata, anceps eligere coactus erat Cl. Auctor medicamen, ventre itaque fasciis rite ligato exhibebat vomitorium, cuius operationem cito secuta est tranquillitas et anxietatis vomiturbationisque remissio; et licet octiduo post eadem symptomata redirent; ea tamen mox dato iterum vomitorio fuerunt profligata et aeger, licet summa senectute confectus, integre conualuit.

In mense aprili febrim acutam, qua permulti p. 61.
fuerunt correpti, quarto et decimo die abeuntem
secutae sunt quotidianae et tertianae.

Cum morborum horum acutorum natura quolibet fere mense variare et alia atque alia symptomata proferre soleat, ut ex praecedentibus perspeximus, sine dubio rem gratissimam fecisset Cl. Auctor, si cuiuslibet mensis temperiem aerisque vicissitudinem addere adeoque lectores suos in causarum et symptomatum inuestigatione comparationeque inter se adiuuare voluisse.

Morbis acutis immiscuit quoque Cl. Auctor tanti historiam, quo iuuenis quindecim annorum correptus fuerat. Is aliquot dies ante morbi ingressum dolorem in omnibus artubus senserat lancinantem, qui vero, cum ille nunc totus obriguisset, euanuerat. Omnes fere musculi, ad motus voluntarios necessarii contracti duri, artus ad longitudinem extensi et brachia ad truncum appressa erant et os ita firmiter clausum, ut vix per dentes effractos paucula fluidi copia ipsi posset ingeri. Liber tamen restitit linguae et oculorum motus,
mens

mens non alienata, respiratio libera pulsus naturalis. Cum per nosocomii rationem non liceret vniuersalia adhibere balnea, aliam curationis viam ingredi coactus fuit Cl. Auctor. Ut itaque os aperiret, maxillaeque motum redderet, huic cataplasma ex stercore equino cum cereuisia cocto applicari et potionis ex spir. sal. ammon. drachma vna cum aceto rutaе ad saturationem mixta, additis aqu. rutaе vnciis tribus, syr. gran. kerm. vncia compositae, omni bihorio cochlear vnum propinari; praeterea bis de die linimentum ex cleo verbasc. c. spir. sal. ammon, spinae dorsi affricari, illique alterno die cucurbitas siccas applicari iussit, qua methodo id praestitum fuit, vt die quarto aeger non solum maxillam mouere, sed cibos quoque manducare, octauo manus et brachia, paullo post et pedes agitare, vigesimo suffultientis famuli auxilio et trigesimo demum solus ambulare posset.

p. 76. Febres acutas nunc sequuntur intermittentes et reliqui morbi chronicci, quorum varias species annuo hoc spatio obseruavit Cl. Auctor, ex quibus et hic nonnullas modo feligamus obseruationes, quae nostram mouerunt attentionem. Vir sine vel praegressa, vel secuta febre aut alio symptomate quotidie hora quarta pomeridiana subito omnem amittebat visum et plenaria afficiebatur amaurosi, quae vero binis horis post abibat, integraque revertebatur videndi facultas. Idem hic singularis morbus per octiduum eadem hora rediit, tandem vero vncia vna corticis Peruuiani, intra diei spatiū sumta, sublatus fuit. Cum laudano liquido SYDENHAMI, quod Cl. BERRYAT* ad febres intermittentes fugandas

* vid. Memoires de Mathématique et de Physique présentés à l' Academie Royale de Sciences par diverses Scavans. Tome II. à Paris 1755. 4. et Commentarium horum Vol. VI. p. 577 seqq.

fugandas miris extulit laudibus, periculum fecit Cl. Auctor pluriesque repetiit. Tantum vero abfuit, vt omnes febres abstulisset, vt e contrario in nonnullis aegris protraxisset paroxysmos, aluum occludisset, aegrosque stupefecisset. In duobus febres hoc medicamine quidem profligatae fuerunt, sed remanens debilitas, stupiditas, deficiens ciborum desiderium longum cardiacorum amarorumque vsum postularunt. Medicamenti interim huius vsum omnem in febribus intermitteatibus non abrogari vult Cl. Auctor, sed ad neruosas tantum restringit febres. Longe infeliori cum successu tentata quoque fuit ab Auctore febrifuga illa arsenicalis medicina a Cl. IACOBI commendata *. Febris quidem ab ea supprimebatur, sed sequebantur ardor quidam continuus in sterno, tussicula sicca, appetitus plenarie deletus, sitis ingens, virium defectus, capillorum defluvium; et febris hectica certo aegrum interfecisset, nisi Cl. Auctor illi emollientibus oleosis remedii et lactis vsu succurrisset, quibus post duos demum menses conualuit. Idem remedium, quod vero minorem arsenici copiam continebat, denuo tentatum, licet ne suppressisset quidem febrim, nihilo tamen minus funesta illa protulit symptomata, vt itaque illud ex omni medicaminum apparatu prorsus sit eiusciendum.

Mensis october, nouember et december hy- p. 88.
dropicis fatales erant, quo tempore, praeter electuarium ex pulu. rad. helen. ialap. sal. ammon. conseru. nasturtii, syr. de spin. ceruina compositum et vinum Austriacum cum foliis absinth. et eupatorii cannabini digestum, in anasarca et ascite auxilium

* vid. Acta Acad. Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium, quae Erfordiae est. Tom. I. Erf. et Goth. 1757. 8. p. 216. et Comment. nostr. Vol. VI. p. 621.

auxilium attulit, si tumidae partes decocto eupatorii cannabini calido madidis inuolutae fuerant. Sic quoque non sine salutari effectu in ascite abdomen oleo oliuarum recenti illinitum et calida manu horam semis perficitum fuit.

p. 90. Ictero plerumque, praeter serum lactis pro potu ordinario, sola mixtura, ex sapon. venet. vncia una semis soluta in aquae fumar. libra una, cui additae fuerunt vnciae duae syr. fumar. et rhei electi drachma una et semis, mederi solitus est Cl. Auctor. In puella quadam tamen non suffecit haec methodus; superueniebat enim ictero, quo multas iam hebdomades illa laborauerat, intermittens tertiana, cuius paroxysmos augebant dolor colicus et inde ortae lipothymiae. Cortex tandem Peruianus pessima haec non solum symptomata, sed et febrim intermittentem plenarie, icteri maximam partem, sustulit, cura demum per serum lactis finita

p. 95. Scabiem crustosam sicciam cum pulu. rad. ialap. mixto cum conseruis et syrup. fumariae et nasturtii salutari cum effectu tractauit, reliquos pertinaci scabie affectos aegros cum mercurio sublimato, methodo Switeniana, prospere restituit.

p. 103. Omnibus, quos verminare credebat, sine vermium discrimine praebuit linetum ex sale polychr. pulu. rad. ialap. valeriana. s. phu dictae, singulorum drachma una, oxymell. Squill. vnciis quatuor atque a drachma una pro ratione aetatis ad vnciam dimidiam quater de die sumi iussit. Hoc medicamentum vermes omnis generis propulsisse, omnesque a vermibus liberasse Cl. Auctor affirmat.

De scrobuto, arthritide, erysipelate, asthmate glutinoso, diarrhoea quae tradit, silentio praeterimus eo animo, ut superfic nobis spatium nonnullas sectionum addendi anatomicarum,

1) Vir quinquaginta annorum, per viginti iam annos a tussi excruciatus, nunc grauius aegrotans, curae Cl. Auctoris committitur. Huic oxymel Squilliticum primum, deinde post dimidium annum in noua morbi exacerbatione kermes minerales, cum conseruis nasturtii aquatice et cochleariae, copiosa et purulenta produxerunt sputa: aeger quidem inde admodum leuatus praeter opinionem tamen subito animo delinquens obiit. Cibos audie semper appetierat assumtosque optime tulerat digesseratque. Nullae horripilationes, nulla febris, nullum delirium, nullaque, praeter anxiam respirationem ex materia tenaci, expectorationem impeditente, alia symptomata obseruata fuerunt. Inciso abdome apparebat omentum dilaceratum semi-putridum, intestina tenuia cuncta in peluim coacta, super his colon in globum conuolutum, ventriculus capax ad sedecim aquae libras, hepar a parte costarum compressum et prorsus cartilaginosum, lien durus fuscus prope peluim, renes plani, parui, depresso, vesica contracta; in thorace lobus pulmonum sinister totus aridus, friabilis, dexter flaccidus niger atro grumosoque sanguine refertus, in corde magni polypi, in cerebro superior lobi medii pars ad semi pollicis altitudinem gangraena destruxta.

4) In viro, quinquaginta annos nato, per plures p. 118 annos tussiculo et de continuo dolore obtuso ponderique sensu in latere sinistro thoracis conusto, pulmo sinister in corpus rotundum scirrhosum lapideae duritiae concretum, binis longis callosisque fistulis, quae plures in ramos diuisae progressiebantur, perrosum, dexter cordis ventriculus, qui magnum continebat polypum, aneurysmatis in modum valde expansus repertus fuit.

6) Febrim tertianam praepropere suppressam in viro triginta quatuor annorum excipiebat languor

totius corporis, ciborum fastidium, dolor ac tumor utriusque hypochondrii, oedema scroti ac pedum, respiratio anhelosa, cordis palpitatio, frequens lipothymia et tandem mors. Abdomen incisum continebat aquae subrubellae turbidae, thorax vero limpidissimae magnam copiam, vesicula fellea liquorem albumini ouorum colore, sapore spissitudine que simillimum. Hepar scirrhosum erat, lien squamosus tenax pondere tres libras aequabat.

p. 125. 8) In foemina, paullo post, quam inebridata prolapsa fuerat in frontem, mortua, cranium quidem integrum, insignis vero sanguinis extra vasa missi copia cerebellum comprimens reperta fuit. Praeterea in abdomen intestinum coecum aere ita distentum erat, ut illud, valuula B A V H I N I deleta, ducdecim libris aquae capiendis suffecisset. Colon e contrario totum in tenuem contractum erat chordam. Vesicula fellea 250 comprehendebat calculos.

9) In foemina, quae hydropica obiit, antea vero nec ictero, nec ullo alio morbo unquam affecta fuerat, hepar siccum, durum ac graue vix ad pugni magnitudinem accedebat; vesiculam vero felleam totam exsiccatam albicans calculus, ad vesiculae figuram compactus, replebat.

p. 140. 14) Foemina ab eo tempore, quo onus tergo portans prona ceciderat, cordis palpitationes et dolorem in hypochondrio sinistro ad ultimam costarum verarum et primam secundamque spuriarum atque in opposita posteriore parte, loco tribus digitis a spina dorsi distante pulsantem senserat. Post anni spatium a modo descripta thoracis parte posteriore tuberculum molle cum corde synchrono motu pulsans apparuit, quod, si cessabant cordis palpitationes, longe minus molliusque erat, cito interdum increscens illis, ut fieri solebat, cum vehementia reuertentibus. Octo tamen diebus

ante

ante mortem omnis cessauit cordis palpitation tumorque plenarie euanuit. Huic malo accesserunt mortisque fuerunt causae tussis violenta sicca, febris hebetica, insomnes noctes, sudor nocturnus copia et foetore ingratus. In pulmonibus crasso viscidio obductis plures vomicae, in cordis ventriculo utroque magni polypi, aorta a corde ascendens ad curvaturae finem usque valde dilatata, descendens in loco supra indicato in saccum magnum polypofo sanguine repletum extensa, supra hunc duobus in locis cartilagineosa facta, costa prima spuriarum diffracta, reliquae duae cariosae repertae fuere.

16) Vir, quadraginta nouem annorum, ascite p. 146.
et anasarca affectus fuerat. Vtrumque malum prima vice abstulerat vinum squilliticum; superfuit tamen in regione umbilicali durities. Cum itaque aeger in eundem morbum relaberetur et a nullo medicamento se leuari sentiret, paracentesis operationi se subiecit, qua octoginta librae aquae crassae rubrae emissae fuerunt, qua facta, tumor intra primum morbi ingressum et hanc operationem notabiliter increuisse augmento apparuit. Idem post quamlibet operationem, quam octies aeger sustinuit, obseruatum fuit. Tandem vero aeger viribus consumitis post octauam paracentesin, qua centum librae aquae prodiere, obiit. Thoraci fluidi multum, abdomini nihil inerat. Hepar, ventriculus, lien sani apparebant. Omentum vero crassum tenacem saccum, magnam, praeter tumorem steatomatosum duas et viginti librarum ciuilium pondus excedentem, aquae foetidae copiam continebat.

17) Calculus, cuius pondus parum scrupulum p. 150.
vnum superabat, ductui cystico impactus, causa non solum icteri, sed etiam mortis subsequentis fuit. Omnis in hoc cadavere, non solum exterior ossium compages, sed interior quoque structura flaudine imbuta erat.

Die Naturgeschichte der Thiere in systematischer Ordnung. Die Vogelgeschichte; entworfen durch JOHANN SAMUEL HALLEN. Mit Kupfern. Zweiter Band. Berlin, bey Christian Friedrich Voss. 1760. 8. Alph. I. pl. 20 tab. aen. 8.

i. e.

IOANNIS SAMVELIS HALLE historia animalium systematica. Historia avium. Tomus. II.

Antequam huius tomī epitomen exhibeamus, Lectores nostros de vero nomine Cl. Auctoris certiores esse, cupimus. Recordamur enim, nos ante duos et quod excurrit annos, primum huius historiae animalium tomum euoluentes, summam historiae animalium systematicae, ab HALLERO elaboratae, exhibuisse *. Verum, cognomen Cl. Auctoris minus recte scriptum ibi esse, iam nunc ex praefatione, alteri tomo praefixa, animaduertimus, Nostrique nomen non HALLER sed abiecta littera R. HALLE scribendum, omnemque erroris culpam in typographum coniiciendum esse, ipse Cl. Auctor notat.

Ipsum librum euoluentes generalem primo historiam de structura, more viuendi, generatione et migratione avium deprehendimus, qua absoluta ordines, genera et species avium traduntur, ita tamen, vt in efformanda dispositione methodica noui nihil Noster addat, sed b. KLEINIVM hac in re secutus ad pedum atque rostrorum formas attendit

* vid. Comment. nostr. Vol. VII. P. I. p. 15.

attendit et chara^cteristicas auium notas inde desumit. Verum, methodum istam naturalem omnino esse, ex eo patet, quod pro diuersitate ciborum, diuersa etiam rostrorum forma et pro diuersitate locorum, quae ceu domicilia natura auibus concessit, diuersa quoque pedum constitutio necessaria esse videtur. Ita auibus rapacibus rostrum incuruum est et validum, aliae, quae seminibus vescuntur, vt passeres, rostrum breue et validum habent, aliae, vt aquatice aues, longo rostro, aliaeque alio instructae sunt. Eandem etiam ob causam cum rostris pedes congruunt. Ita paludosae aues longis pedibus incedunt, in aquaticis autem pedum digitⁱ membrana coniuncti, aliarumque pedes aliter iterum constituti deprehenduntur. Qui itaque ad hos chara^cteres bene attenderit, quamlibet proinde auem ad ordinem suum suumque genus et speciem commode referre poterit.

Aues omnes ab omnibus aliis animalibus alatis p. 1. se distinguunt in eo, quod corpus pennis instru^tum et duplicem maxillam corneam, ex qua rostrum componitur, habeant pedibusque duobus incedant. In plurimis auibus caput pro corporis proportione minus quam in quadrupedibus, et rotundius etiam est atque fornicatum. Rostrum cornuum, tenax, validum et acutum est, et dupl. elongatam quasi maxillam represeⁿtat. Oculi auium cum quadrupedum oculis comparati planiores apparent et membrana mobili instructi sunt, quae periophthalmium seu membrana nictatoria vocatur et totum pene, si extenditur, oculum obducit eumque a variis laesionibus defendit. In aliis inferior tantum palpebra mobilis est, in aliis autem, vt in noctuis; vtraque mobilis. Aures concha p. 6. externa seu lobis destitutae sunt, in nocturnis autem auibus opercula mobilia apposita cernuntur. Reliquarum auium aures ope pennularum, denso

agmine ad eas circumpositorum, defenduntur. Margines rostri membrana quadam instructi sunt, quae labia auis sicut, et in iunioribus tumida, flava et extrorsum reflexa inque adultioribus introrsum inflexa est; in aliis vero, ut in alaudis, ea semper tumida manet. Longitudine colli aues omnia animalia superant, ita tamen, ut in aliis breuius in aliis longius istud appareat. Alae ceu pedes auibus inferiunt, quarum ope per aerem volitant quasue ad multos usus impendunt. Constant alae ex tribus articulis, osse nimirum humeri vlna et carpo, in quo pennae remiges locantur, quarum octodecim ut plurimum numerantur et aliquibus minoribus p. 9. obtieguntur. Pedes tribus componuntur articulis, femore nimirum crure et pede extremo, qui ex digitis constat. Plurimae aues antrorsum tribus, aliae tamen quatuor aliaeque duobus tantum digitis unoque retrorsum exorrecto gaudent. In aquaticis auibus digiti isti membrana coniunguntur, in reliquis iidem liberi sunt. Ad vropygium glandula locata est, quae adiposam materiem continet. In posteriori parte cauda cernitur, quae ex duodecim vel viginti pennis rectricibus constat. Quaevis penna ex calamo et pinna componitur variisque usibus inferuit. Aliter constituta est plumula, quae abdomen ut plurimum obtigit et ad conseruandum calorem atque ad natandum quid confert. Partes genitales intra anum et glandulam vropygii reperiuntur, qua in re a quadrupedibus differunt omnino aues.

p. 15. Anatomice disquisitae aues varias partes exhibent, quibus se a quadrupedibus quoque distinguunt. Ita cerebro dissecto nec sulci, nec corpus callosum, nec fornix, nec striata corpora reperiuntur. Corticalis substantia medullarem obtigit; ventriculi superius locantur et, ubi callosum alias corpus deprehenditur, medullae oblongatae pedunculi

culi in conspectum veniunt. Striotorum corporum locum membrana striata supplet, plexusque choroideus in ventriculis lateralibus cernitur. Rostrum et sanguinea vasa et nerui intrant. Tympanum ex duabus membranulis constat; loco mallei, incudis, stapitis et ossiculi orbicularis, tenuis canalis osseus animaduertitur, cuius apici parua cartilago trifida apposita est. Labyrinthus tres canales semicirculares, in hominibus reperiundos, repraesentat et meatum auditorium sistit. Lingua in aliis lata, in aliis carnosa, in aliis fissa, longa admodum in aliis; angusta, breuis et tendinosa est. Epiglottis in auibus deest. Trachea ex pluribus inter se coniunctis circulis constat et in aliis cartilaginea, in aliis fere ossea est. In auibus aquaticis trachea primo in pectus descendit, tum rursus ascendit iterumque flexa in duos ramos diuiditur. Pulmo ex vesiculis spongiosis constat et dorso tam p. 19. pertinaciter adhaeret, ut vix extendi queat. Loco diaphragmatis nonnullae vesiculae membranosae, poris instructae, in conspectum veniunt, quae, aere repletae, eundem ad ventris longitudinem deducunt. Quius lobus dupli foramine instructus est, per quod aer in cavitatem abdominis intrat. Oesophagus supra sinistrum ventriculi orificium in bursam rugosam, pluribus tuberculis instructam, ampliatur et ingluvies dicitur. Haec in auibus, breuiori collo instructis, medium pectoris occupat, in aliis autem ad latus colli flebitur. Quae ingluwie destituuntur, in iis infima pars oesophagi copiosis glandulis obsita est. Ventriculus in aliis admodum carnosus et crassus, in aliis amplius admodum et tenuis et quasi saccus membranosus est vel ex vtrisque constat. Colon in omnibus deficit, coecum vero in quibusdam duplex est. Vasa lactea defunt; renes, ad dorsum vtrinque siti, ex contextu ramorum inaequalium constant humo-

remque suum in intestinum rectum effundunt. Testes ad dorsum sub hepate deprehenduntur, quo in loco etiam ouaria in foeminis sunt, quae ex substantia membranosa et fibrosa constant, cui vesiculae racematin adhaerent. Sternum leue quoddam intus concavum extus conuexum os est, cuius medium septo diuiditur. Ductus biliarii a ventriculo valde distant, quorum singuli absque coniunctione in intestina se aperiunt. Sedimentum vrinae fluida parte copiosius est et cum excrementis ceu alba substantia eiicitur et ad formandam testam forte impenditur.

p. 27. Quod ad naturam avium pertinet, eae breuiori temporis spatio perfectiores fiunt, quam viuipara animalia, ad quam rem calor incubationis, dies noctesque communicatus, et cura parentum in cibando multum facere videtur. Masculinum genus formositate vocisque suavitate sequiorem sexum superat. Vocum varietates insignes sunt, ita ut aliae breues, longiores aliae instituant cantus.

Plurimae aues non nisi post annum pubescunt, licet etiam sint, quae citius statum istum attingant. Masculinum genus dorsum foeminae ascendit sicque rem venereum exercet et breui admodum tempore se expedit. Aliae unam tantum aliae plures foeminas eligunt, ita tamen, ut primam haud prius dimittant, quam incubare ista inceperit. Coitu absoluto nidos construunt, in quibus mira varietas tum ratione structurae, tum respectu materiae obseruatur, quo versus vesperam constructo altero die ouum iam in eo reperitur, certoque demum numero deposito incubare incipiunt.

p. 48. Ouorum partes sequentes reperies: putamen exterius ouum inuestit, cui interius membranae adhaerent, sub quibus albumen tenuius crassiusue atque

atque vitellus continentur. A vitello ad obtusum non solum sed ad acutum quoque ovi angulum duo corpuscula, paululum solidiora, producuntur, quae ex fibroso contextu conflata chalaque vocantur et humores in situ conseruant. In vitello cicatricula conspicitur, quae prima pulli stamina continet. Albumen, dum pullus adhuc includitur, ei nutrimento est, vitellus autem, pullo excluso, intra intestina pulli reconditur, primisque post exclusionem diebus nutrimentum suppeditat.

Aues maiores plus temporis quam minores in p. 54. ouis incubandis consumunt. Omnes aues aquaticae atque eae etiam, quae maiores sunt, oculis apertis, reliquae occlusis, excluduntur. Ex masculino avium genere nonnullae incubationis officium in se suscipiunt et, dum nidum ob famem sitimque ad tempus relinquere coguntur foeminae, oua fouent. Aliae ex illo genere non quidem incubant, foeminis tamen alimenta praebent: aliae autem, ut anseres, nihil prorsus in hac re praestant. Verum non omnes ad incubationem aptae sunt aues, ideoque solis calori exponunt oua.

Pulli propria vi claustra rumpunt, pedes exten- p. 62. dunt sicque collo resistentiam pariunt, qua mediante rima in testa oritur. Testae aliquibus particulis segregatis pullus magis ac magis se circumvoluit sicque intra horam excluditur. Primo die nullo alimento iste opus habet, altero autem parentes alimento primo tenuius posthac solidius adferunt, vnumque tantum alterumue quavis vice saturare queunt; hinc eae, quae plures pullos fouent, saepius reuolare iisque, quae adhuc esuriunt, alimento adferre coguntur. Neque sic tamen ullum praetereunt eosque probe discernunt, qui alimento indigent: forte fames singularem vocis mutationem inducit, qua quiuis pullorum esurientium ab altero, iam cibato, discernitur.

Parentes

Parentes præterea pullos ita disponunt, vt, podice ad nidi margines eretto, excrementa facilius ex eo remoueantur sique nidus purus semper seruetur. Quando demum pulli volare incipiunt, isti quidem a parentibus non statim deseruntur, sed in viuendi modo paululum quasi instruuntur, donec tandem quisque sibi ipse consulere valeat vel in alterum sexum propensio eum a parentum amore auocet.

p. 65. Non omnes aues, quas in regionibus nostris videre licet, in iisdem semper manent, sed aliae earum hyeme appropinquante ob defectum vietus oculos nostros effugiant, aliae vero, frigus famemque magis tolerantes nobiscum degunt. Licet autem varias avium species in regionibus nostris deprehendamus, eas tamen omnes pro indigenis non habendas esse, statuendum est. Quae itaque in terris nostris pullos excludunt pennisque deponunt, pro indigenis, eas vero, hoc charactere non donatas, vt turdos, autumno tantum ad nos accedentes, pro peregrinis habendas esse Cl. Author autumat. Quod ad hirundinum hybernacula pertinet, Noster a b. KLEINIO, quem in pluribus alias secutus est, discedit, aliamque sententiam fouet. Statuit nimirum b. ille vir, hirundines, in primis riparias, autumno accedente, ad arundineta se conferre et, arundinibus adhaerentes cum iisdem in aquam demergi, vere autem adeunte rursus prodire; ad quam rem confirmandam varia documenta et testimonia, coram magistratibus proposita, apposuit sique in saluo istam rem esse putauit. Haecce quidem testimonia Noster non negat, exinde vero, quod arundinibus adhaeserint hirundines, hybernacula earum non probari posse, putat. Experimentum enim instituit filumque, gumi gutta tintum pedi hirundinis domesticae circumvoluit, quod anno sequenti non mutatum secum iterum attulit; inde Noster colligit, hirundinem

dinem aquae démersam non fuisse. Colorem enim, dummodo minimo tempusculo sub aqua pes haefis-
set, certo euanuisse, putat. Accedit et hoc, quod omnes aues reuertentes pingues pennisque nitidis-
simis ad nos iterum accedant; quod non obserua-
remus, si vieti destitutae somno sepultae fuissent.

Indigenas praeterea aues in erraticas et migra- p. 71.
torias Noster diuidit, qua in re a b. KLEINIO ite-
rum discessum facere videtur. Ab hoc enim erra-
ticas dicuntur, quae quotannis vere et aestate ob
oculos nostros sunt et, hyeme accidente, regiones
nostras deserunt, migratoriae vero vocantur, quae
vel aliunde ad nos veniunt; autumno ulterius mi-
grantes, vel aestate nobis familiares autumno au-
lant aut elementum mutant. Nostro autem indi-
genae aues vel erraticae vel migratoriae sunt; illae
vocantur, quae ad vicina tantum loca migrant,
hae vero, quae simul multas regiones transuolant
et ad calidiores se conferunt. Quae vero Cel.
KLEINIO migratoriae sunt, Nostro peregrinae
vocantur, qua in re nec a veritate multum rece-
dere videtur.

Vernationem aium a siccitate pennarum pro p. 72.
uenire huiusque causam in aeris calidi frigidique
vicissitudine quaerendam esse, Noster afferit, insi-
mulque vitalem aium calorem summum caloris
animalis gradum esse autumat, idque ex eo, quod
subito coeant volentque et semina durissima facile
concoquant aeremque summum frigidissimumque
perferant, probare studet: naturae vero instinctum
ab auis cuiuscunque structura deducit indeque de-
clarat. Ita pica glandes quercinas colligit inque
fruticetis abscondit; rapaces aues vario modo inua-
dunt; ciconia tectum, quod inhabitauit, hirundo
nidum suum adhuc cognitum habet etc.

Quod

p. 79. Quod ad usum tandem spectat, quem ex aliis
 capit homo, iste multifarius est, auresque vel nos-
 tantum delectant, vel etiam multa nobis sup-
 peditant, quae vel indigentiam tollunt vel vitae
 nostrae rationem commodiorem reddunt. Gene-
 rali avium consideratione absoluta ad specialem
 earundem historiam Noster accedit easque secun-
 dum characteres generales et speciales considerat.
 In generali quidem dispositione b. KLEINIVM, ut
 monuimus, Noster secutus aures secundum pedum
 rostriue structuram considerat, in coordinandis vero
 generibus et speciebus aliter paulo Nostrum pro-
 cessisse, animaduertimus. Ita secundum KLEI-
 NIVM septem constituuntur avium familiae, qua-
 rum quaelibet sua genera suasque species habet.
 Noster autem duas tantum familias constituere
 videtur auresque in eas, quae digitis liberis gaudent,
 rufusque in eas, quae digitos, membrana con-
 iunctos habent, diuidit, utrasque dein in ordines,
 classes, genera, species aliquosque minores ordines
 distribuit. Quod vero ad speciales avium chara-
 cteres atque ad historias, quas de aliis quibus-
 dam hinc inde Noster exhibuit, pertinet, nihil no-
 bis, cum breuibus ibi se expedit, excerpere
 licuit.



XV.

Medical Facts and Experiments. By FRANCIS HOME, M. D. Fellow of the Royal College of Physicians in Edinburgh. London, printed for A. Millar in the Strand, and A. Kincaid and I. Bell, at Edinburgh. MDCCCLIX. 8 mai. pl. 18 $\frac{1}{2}$.

i. e.

Facta et experimenta medica Auctore FRANCISCO HOME.

In tres partes omnem hunc librum dispescuit Cl. p. 1. Auctor, quarum *prima*, quosdam *epidemicos*, 121. describit morbos, qui in ultimo bello Anglos inter et Gallos ab anno huius seculi quadragesimo secundo ad octauum usque gesto, Anglorum deuastauerant exercitum et quos obseruandi ille habuit opportunitatem, quum medici castrensis nomine ipsum Anglorum castra sequutum fuisse ex ipso libro intelligamus. Illos iam quidem a Cl. PRINGLE in egregio ipsius libro, *obseruations on the diseases of the army*, expositos legimus: ex omnibus tamen illis morbis eos tantum selectos se nunc tradere modeste omnino affirmat *Noster*, quos vel omiserit, vel certe non separatim pertractauerit Cl. PRINGLE. In nouem igitur *sectionibus* totidem quoque a se diuersos morbos belli tempore obseruatos proponit, nimirum: *febrim* Anglis *lentam* vel quoque *neruosam* dici solitam: aliam porro continua remittentem annorum 1743 et 1748: *lumbaginem*: *gangraenae* singulare quoddam genus: *variolas*: *febrem miliarem*: dirum istud *coryzae malignae* vel *narium* potius *ossium cariei* genus, equis adeo

adeo funestum, *the glanders* ab Anglis, *la morve* a Gallis appellatum: *vulnera tandem sclopeto illata.*

p. 121- Altera libri pars septemdecim sectionibus ab-
217. soluitur, quarum singulae insignem de morbis obseruationum, in suas classes secundum singulos titulos redactarum, copiam continent, quippe quae sunt de pulsu; arthritide; variis tumoribus hydropticis; febre remittente; dysenteria et tussi periodicis; asthmate humido, hepatis abscessu et erysipelate; calculo in vretere haerente; renum abscessu; pulmonum ulcere cum spasmis hysterics; tabe; hectica febre; testiculorum inflammatione; graui in caput lapsu; caluae fractura; cerebri inflammatione et tandem de febre lenta vel neruosa. Harum quidem obseruationum plurimae breues, clare tamen atque distincte satis et ita exaratae sunt, ut fere dubitemus, num Cl. Auctoris singularem, nec ubiuis obuium, candorem potius, an rerum medicarum cognitionem, laudare debeamus. Morborum enim historiam exacte non solum descripsit; sed tales in primis, quos enarraret, casus selegit, qui funestum habuerant euentum. Quod eas nimirum ob causas a se factum esse bene monet in praefamine operi praemisso, quoniam ipsius morbi inde perfectior fiat idea atque cognitio; maior quoque ab illis expectari possit utilitas, ac illi casus suppeditent, qui felicem habuerint exitum, quum discamus inde, quam fallax esse possit iudicium in applicandis regulis, quae nimis forte paucis innitantur obseruationibus; quoniam porro nos doceant, qui satis cauti simus in facienda prognosi neque nimium de bono morbi euentu speremus vel aegris promittamus; et quia tandem Auctori plus concilient fidei, ac si optima quaevis de suis curationibus enarrauerit.

p. 217- Tertia denique libri pars quatuor sectionibus
288. non nulla continet experimenta de variis rebus me-
dicis capta, nimirum: *de proportionata sanguinis
velocitate*

velocitate corporis que humani calore in morbis, siue de ratione, quam calor ad sanguinis habere dicatur velocitatem, eaque num vera sit? De nitro murali: De perspiratione sic dicta insensibili Edinburgi obseruata: De morbillorum denique infitione. Generali nunc de hoc libro tradita expositione, praecipua illi adhuc subiungere placet ex illo depromta.

In Flandria, Gandaui in primis, sub finem p. i. septembris anno 1742 per quatuor menses insignem stragem inter copias anglicas fecit epidemica febris, a symptomatum indole *lenta* Cl. Auctori dicta. Menti potissimum alacritatis imminutio obseruabatur in aegris, adeo ut admodum tarde ad quaesita respondentes, praecipuum inde morbi signum diagnosticum praebarent. Sensim sensimque subsequebatur stupor sine dolore capitis saepe per quatuordecim dies et ultra perdurans. Siccitas cutis atque linguae, respiratio citior saepius absque pulsus aucta celeritate, vox debilis atque submissa, insignis dolor circa ventriculi regionem, atque diarrhoea, reliquis frequentiora erant symptomata. Interdum, sed rarius, breui dierum spatio iudicabatur morbus per vrinam atque sudorem; saepius autem per quinque vel sex adeo septimanas persistens, lente tantum absque conspicua crisi soluebatur, lingua humidiore facta; quod nimirum signum omnium erat primum, sanitatis spem faciens. Sudor, si p. 5. prolicere eum liceret, praesertim si eum in finem pediluuium cum aqua calida versus noctem quotidie adhiberetur, optimum morbo afferre videbatur leuamen. In tribus hoc morbo defunctorum cadaveribus hepatis pars concava plumbei erat coloris; in uno ventriculus et intestina inflammata, in altero, in quo adhuc aegro mitior tantum capitis dolor et paulo ante mortem leues modo adfuerant convulsiones, cerebri sinus purulenta materie repleti inueniebantur. Vnum quidem mox caput inci-

dendi habuit opportunitatem; morbi tamen causam proximam in encephalo vix non semper suam habuisse sedem putat Cl. Auctor. Omnibus causis, quae ad gignendum hunc morbum aliquid conferre posse visac fuerant, inuestigatis, aerem tantum

p. 14. humidum neque satis elasticum ceu fere vnicam eius fuisse caussam confirmat.

p. 27. In alia epidemica febre continua remittente iterum in omnibus sere aegris, hepar tamen in cadaueribus isto morbo extinctorum semper sanum obseruauit; vnde colligit, maiorem bilis copiam, quam in hepate secerni potuerit, in ipso sanguine

p. 33. praeparatam fuisse. Ratione temporis, quo morbi castrenses a praecipuis suis caussis, aere nimirum calido, vel frigido, vel humido, orti sese exserunt, haec illos praesertim intercedit differentia, quod aestum illico, humiditatem breui temporis spatio, frigus autem post vnum alterumque diem insequuntur effectus morbosi. Inde a vero propius esse Auctor existimare velit, in priore casu subtilem quasdam particulas a corpore forsan recipi sanguinisque inde circulum turbari; in ultimo autem quasdam in illo retineri, quae deinde per moram

p. 38. sensim auctae effectum suum prodant. Quanta saepius epidemici alicuius contagii sit vis, ex historia febris alicuius remittentis anomiae appareat, quippe quae omnium epidemicarum frequentissima et aliquam prae reliquis legionem mense iulio adeo aggressa fuit, vt triginta tantum milites ab ea liberi manerent. Continuam ab initio aemulata fuit. saepius in intermittentem, neque tamen raro ex hac iterum in illam abeuntem. Quamuis etiam haud multum periculi cum ipsa videretur esse coniunctum, ita, vt ex 140 aegris, quorum curam habebat Cl. Auctor, septem modo perirent; funesta tamen in his aegris superuenientia symptomata, tam cito tamque praeter omnem opinionem ingruebant,

bant, vt illi vel ab ipso morbo iam per aliquot dies p. 43. prorsus liberi, vel certe veram paroxysmorum intermissionem experti, subito inciderent in sensuum aliquem stuporem, ingemiscerent absque vocis vsu, deglutiendi facultatem fere amitterent, aluum deponerent infissi tandemque frigidis sudoribus diffusi exspirarent. Quum in non nullis aegris P. 53. ad delirium usque ascenderet calor febrilis saepius que accederet diarrhoea; in capite atque intestinis sedem suam habere morbum Cl. Auctor existimabat: quum vero cadauer alicuius aegrae aperiret, quae iam per quinque dies a morbo liberata sine remanente aliquo symptomate, praeter diarrhoeam, subito tamen in statum iamiam descriptum illapsa et, eodem adhuc die extinta fuerat: ne minima quidem inflammationis signa vel in capite, vel in primis viis inueniebat; ex quo colligit, in fluidis tantum morbi mortisque caussam haesisse. Ex aëris tamen humiditate et hunc morbum suam p. 63. cepisse originem, inde liquet, quod cum aëre humido facto non solum illico ingressus, sed pro augmento etiam vel decremento illius simul vel auctus, vel imminutus fuerit.

Sub initium anni 1743. lumbago rheumatica p. 76. dicta propter sui frequentiam inter epidemicos morbos referenda fuit. Caussam istius proximam vel in inflammatione, vel rheumatica obstructione ligamentorum spinae dorsi vel musculi transuersalis dorsi quaerendam esse Cl. Auctor arbitratur. Quam maxime contra hunc morbum commendat is aliquod linimentum ex pulueris seminis cymini et chamomeli drachmis duobus, sale cornu cerui drachma semis, camphorae in duabus drachmis spiritus terebinthinae solutae scrupulum vnum, vnguenti sambucini vnciis tribus et saponis nigri communis vncia vna compositum.

p. 81. Militum haud paucos, per continuam febrem remittentem viribus exhaustos, singulari isto gangraenae genere affici obseruauit Cl. Auctor, quod alias aetate confectis solet esse familiare. Pedes horumque digiti ab initio siebant rigidi sensusque expertes, deinceps oedematis in modum intumescere incipiebant, ipsa quidem cute sana permanente visa, colore eius tantum mutato, ac si acubus esset puncta, tandem vero in liuidum conuerso. Ea vero si incideretur, subiacens membrana adiposa deprehendebatur prorsus siderata. Lente quoque procedebat malum, adeo ut digiti pedesque per duas tresue iam septimanas gangraena essent affecti ante, quam ulterius serperet; saepius quoque altius, atque ad cellulosum usque contextum, non penetrabat.

p. 89. Quam vehementer noceant in vitae regimine commissi errores tum temporis potissimum, quando quis morbi alicuius contagio corripiatur, memoratu satis digno exemplo Cl. Auctor illustrat. Ab alio aegro variolis benignis decumbente morbi huius contagium suscepisse videbatur miles quidam huc usque sanus. Ab itinere, quod facere coactus erat, non solum valde defatigatus, sed ab humida quoque tempestate madidus, perspiratione inde suppressa, redibat in statu, multum spirituosi potus in se ingurgitans. Paulo post in febrim variolosam incidens, adeo grauiter decumbebat, ut, licet variolosae maculae tertio iam die prodire cooperint, tamen eodem die exspiraret, oculis faucibusque inflammati, lingua atra facta, sanguine per tusum copiose reiecto, aliisque symptomatis, sanguinem in putridam diathesin conuersum denotantibus.

p. 97. Miliaris febris anno 1744 medio hiemis tempore saeuiens, valde exitiosa fuit Gandaui. Ex iis, quibus venae secta fuerat, ne unus quidem euasit.

Vti in omnibus aliis morbis exanthematicis, sic et in nocce morbo, sudores, praesertim si medicamentis excitati fuerint, non iuuasse, sed nocuisse, si a quoque experientia confirmat Cl. Auctor.

Nec equos attentione sua indignos esse *Noster* p. 99.udicans, in dirissimum, cui illi saepius solent esse obnoxii, inuestigauit morbum, quem Angli *the glanders* appellant. Anno iam 1744 in istum inquirens, detexit idem, quod multis annis post celebris ille Gallorum hippiatrus, **L E F O S S E**, inuenit et publici usus fecit. In carie enim superioris narium ossis earumque membranae internae vlcere et caussam et sedem mali, originem vero in eiusdem membranae inflammatione quaerit. Morbum autem facilius praeuerti, quam curari posse monet, si nimirum inflammatio ista, quam primum per sternutationem fuerit obseruata, per venae-sectionem, remedia refrigerentia et emollientes ex aqua calida naribus admissos vapores tollatur. Quo autem modo ipsa caries auferri forte posse existimat, insimul exponit.

Inter alia, quae de vulneribus sclopetorum vi p. 109. illatis habet, obseruata, consilium, quod olim dederat **L E D R A N**, per experientiam quoque confirmari *Noster* monet, ex quo nimirum ad auertendam maiorem inflammationem statim orbam vulnerum, simul ac prima iam vice diligentur, scari-fare, vel ea ipsa, si grauis metuenda sit inflammatio, ampliare debet chirurgus. Satis breuem casus p. 111. alicuius memoratu quidem dignissimi visi mentionem iniectam hic loci legimus, cuius vero ampliorem omnino desideramus expositionem. Aliquis scilicet miles ita laesus fuisse dicitur, vt lien extra abdomen propenderit, quem insuper propter in-sequentis noctis frigidam temperiem corripuerit inflammatio, aduersus quam etiam applicandi fotus nulla adfuerit opportunitas. Insequenti igitur die,

ad praecauendum sphacelum, a medentibus illud captum fuisse, *Nosfer* ait consilium, vt praescindent illud viscus. Qua operatione a chirurgo dexterimo, *WILSON*, feliciter praestita, vulneratum pristinae sanitati ita restitutum fuisse afferit, vt ipsum post aliquod tempus sanum viderit, neque maiorem in eo erga feminine sexum obseruarit propensionem.

p. 145. Singularis porro alicuius tussis periodicae et in modum febris tertianae duplicatae redeuntis exemplum hic loci enarratum legimus. Febris enim paroxysmum ab initio aegrum inuidentem, bidui vero spatio sublatum, sequebatur pertinax tussis, quae singulis noctibus statim tempore reuertebatur et per horam cum dimidia perdurabat, alternis vero diebus sibi respondentibus semper grauior, omnibus aliis remediis, praeter tinturam corticis peruviani, qua tandem oppugnata fuerat, obedire nescia.

p. 178. Ex historia quadam cranii, per infelicem casum ex equo in lapidem modicae quantitatis fissi, illud potissimum annotari debere videtur, quod non solum plures atque valde longae cranii fissurae, post mortem in suscepta inuestigatione anatomica tantum repertae, nullo studio nullaque arte a chirurgis vel etiam dexterimis inueniri potuerint in aegro, sed etiam, id, quod fidem fere superare videtur, quod linteo, sinistram auri, multum sanguinis effundenti, a chirurgo statim intruso et post aliquot horas extracto, satis insignis cerebri particula cum sanguine grumoso inhaeserit. Quum itaque post mortem nono die insecutam, accuratius in laesum cranium inquirerent medentes, praeter alias fissuras plures singularem aliquam detegebant in osse temporum, ita, vt, distracto osse petroso atque processu mastoideo, libera cerebro pateret via in meatum auditum externum, tympani membranae parua modo

parte

parte remanente, auditus vero ossiculis plane nullis repertis.

Ex nonnullis, quos enarrat, casibus febris lentae p. 213.
vel neruofae dictae veri simillimum esse Cl. Auctor colligit et, prout supra iam dictum fuit, vterius confirmat, ipsius morbi caussam proximam in glandulosa, quam appellat, cerebri parte suam habere sedem indeque pulsū debilem morbo isti familiarem oriri; a vero insuper propius esse, album illud vrinæ sedimentum in non nullis aegris obuium et salutare, a leui quadam cerebri suppuratione, materie ista purulenta ad vias vrinariás delata, prouenire. Contra euacuantium remediorum vix non omnium usum recte, ni fallimur, disputat Cl. Auctor, vesicatoria tantum et vinum cum aliis analepticis commendans.

Vt inuestigaret, quanam in ratione calor febrilis p. 217. sit ad pulsus auctam celeritatem, varia ideo fecit tentamina in aegris tum intermittentibus tum remittentibus febribus laborantibus, morbis quippe talibus, in quibus et maxima et magis subitanea in pulsu obseruari potest mutatio. Postquam enim thermometrum ad scalam Fahrenheitianam accurate confectum, per quindecim aut viginti horae minutias sub axilla aegri tenuerat, gradum caloris in corpore aegroto aequo, ac illius atmosphaerici in camera obuium, et pulsus istuum in horae minutia obseruatorum numerum, pro diuersis morbi temporibus, simul annotauit; ex quibus nunc experimentis omnibus infert, inter pulsus istuum frequentiam vel auctam vel imminutam atque calorem insequutum certam aliquam haud dari proportionem, ideoque calorem a sola pulsus frequentia non dependere; aegrum porro de nullo fere symptome conqueri, quin potius, quod bene satis se habeat, sibi persuadere, febre tamen satis graui decumbere et ab ipsa morte propiore esse posse,

prout obseruare liceat in febribus neruosis; corticem insuper peruvianum calorem naturalem augere pulsusque reddere fortiorum; per frigoris denique tempus in febris intermittentis paroxysmo calorem insigniter augeri; licet SCHWENKIVS in *haematologia* sua contrarium afferat, quippe qui experimenta in paroxysmo tantum incipiente instituisse videatur.

p. 228. Nonnulla etiam experimenta Noster cepit de *nitro murali* dicto, siue salino aliquo concreto ex muris, quibus tectorium aliquid opus inductum erat, aedificii, in quo lutum colligebatur, depromto. Illa tamen aequa ac sequentia, *de insensibilis perspirationis in Scotia obseruata quantitate*, quo ea iam repetemus, ampla nimis sunt: interim illud tantum adducimus, quod veri nitri nomine illud concretum insigniri nequeat, sed alcali fossile cum paoco sale volatili alcalico remixtum dici possit.

p. 253. In yltima tandem sectione partis libri tertiae nouam Cl Auctor proponit methodum, qua morbillos, variolarum in modum, inseri funestaque ideo ipsorum symptomata praecaueri posse putat.

p. 268. Altero itaque ab eorum eruptione die partem cutis, quam occupabant morbillorum plurimi in superficie ipsius tantum incidebant et exstillantem sanguinem gossypii particula excipiebat, quam deinde in aliud vulnusculum utriusque brachio illius hominis infictum, cui inserere volebat morbillorum miasma, immittebat, postquam antea sanguinem ex novo hoc vulnusculo profluere suerat, ne ab hoc nimirum applicatus morbillosus sanguis simul elueretur, gossypii deinde particula per tres dies in ipso vulnere relieta. Ex pluribus igitur tentaminis

p. 285. bus sequentia annotauit. Sanguinem scilicet, ex aegro morbillis decumbente iam descripto modo depromtum, sufficientem continere vim efficiendi morbillos, eam vero cito amittere, si vel libero

aëri

aëri expositus, vel in vase licet bene occluso per aliquot septimanas afferuatus fuerit: inoculato in aegro circa sextum ab operatione diem ut plurimum euolutum esse miasma morbumque ordiri, inoculatorum porro morbillorum, vti variolarum insitarum, morbum multo mitiorem esse ratione febris omniumque symptomatum, ac naturálium pathognomica morbillorum imminentium signa; oculorum nimirum illacrymationem et frequentiorē sternutationem in vtroque morbo, et naturali et artificiose, apparere simili modo; eam forte ob rationem, quod morbillosum miasma acris salinae cuiusdam naturae sit, ideoque potius cum harum partium, quam aliarum, humoribus eo adductis ibique secretis, coire: tussim vero potissimum aliis naturali via aegrotantibus adeo familiarem sapiusque fatalem, in artificialibus aegris fere prorsus abesse; cuius phaenomeni caussam hanc esse *Noster* existimat, quod naturales morbilli per miasma in aëre volitans a pulmonibus exceptum oriantur ideoque in cadaueribus ab hoc morbo extintis pulmones morbillis vel certe maculis inflammatoriis obsessi inueniri soleant: inoculatos insuper morbillos sapius per diarrhoeam iudicari: artificiales quoque morbillos alium morbum exanthematicum per tres iam-menses persistentem vnā sustulisse: vulnuscula tandem cuti hunc in finem incisa, sub initium febris eruptiuae dictae non eo modo, ac in variolis inoculatis, denuo inflammari ac in suppurationem abire. In duodecim infantibus diuersae aetatis, tamen non ultra tredecim annos natis, non nullis quoque infra secundum aetatis annum, cepit experientia Cl. Auctor, ex quibus nouem experti fuisse morbum videntur per viam artis, unus morbum passus quidem, sed post aliquod tempus in eundem relapsus ex materie, vti Cl. Auctor arbitratur, nondum satis euoluta, aliis morbo quidem correptus, sed naturali potius modo iam ante infisionem

infectus creditus, duo autem prorsus a morbo liberi manserunt, quorum tamen vnum iam olim naturaliter superasse morbum, deinde *Noster* percepit. Quamuis interim haec a Cl. Auctore tentata et enarrata experimenta felicem habuerint euentum, vltiori tamen experientiae noui huius inuenti dignitas atque utilitas relinquenda esse videtur.

XVI.

A Treatise on the three different Digestions and Discharges of the Human Body. And the Diseases of their principal organs. By EDWARD BARRY M. D. F. R. S. Professor of Physic in the Vniuersity of Dublin, and Physician General to his Majesty's Army in Ireland. London 1759. printed for A Millar. 8 mai. Alph. I pl. 5.

h. c.

Tractatus de tribus diuersis digestionibus et excretionibus corporis humani et morbis praecipuorum, huc spectantium, organorum Auctore EDVARDO BARRY.

Ante triginta, et quod excurrit, annos Cl. Auctor tractatum de phthisi pulmonali ediderat, et in illo de nutritione, nec non de fabrica et usu pulmonum differuerat *, in praesenti igitur tractatione varia ibidem proposita partim repetiit, partim cor-

* Editio secunda et auctior, quam conferre potuimus, Londini 1727 in 8 mai. prodiit. **A Treatise on a Consumption of the Lungs with a previous Account of Nutrition and of the Structure and Use of the Lungs by EDWARD BARRY, M. D.**

correxit et, inspersis variorum scriptorum recentiorum assertis, nonnulla therapiae capita ex praemissis physiologico-pathologicis illustrare annis est. Tres primarias digestiones humorum corporis animalis praecipue considerat, primam nimirum, quae in primis viis absoluuntur, secundam, quae in pulmonibus et sanguinis circulo fit, tertiam, quae in sero et lymphae vltiori praeparatione consistit. Vti vero primae digestioni excretionem foecum aluinuarum iungit, sic cum secunda vrinae et cum tertia perspirationis et sudoris excretionem connectit, ex quibus ratio tituli, huic libro praefixi, patet. Nos, pleniorē idēam operis exhibuti, summā capitū breuiter indicabimus, inspersis passim nonnullis annotationibus.

Prima digestio in *capite primo* consideratur et p. 1. actio ventriculi et intestinorum in alimenta et potulenta masticata et deglutita succinēte explicatur. Calori, per varias causas excitato alii, alii dissol. p. 20. venti cūdam fermento, alii mechanicae actioni digestiōnē in ventriculo adscribunt; Noster omnes has causas coniunctas, sed suo modo limitatas assumit, et ostendit nec fermento actiō acri, nec vi musculari digestiōnē ciborum in ventriculo adscribi posse, cum vera solidi dissolutio non semper locū habeat, sed tantum attenuatio et extractio. Hac data occasione monet, quantum fallantur mechanici, si in viribus ventriculi et cordis etiam mensurandis inter vim absolutam, quam exercere possunt, et inter vim, quam actu exercent, et quae pro ratione resistentiarum varia est, non satis distinguunt.

Venas meseraicas quoque humores ex intestinis p. 29. resorbere cum multis aliis assumit, et aquas chalybeatas et succos laeteos amaros plantarum quarundam resoluentium in corrigenda hepatis obstruktione sine hac resorptione assumpta, non adeo efficaces

efficaces fore, ostendit, cum particulae per chyli
p. 31. vias maxime mutentur. Non suetione tantum,
 sed pressione intestinorum etiam resorptionem chyli
 praestari afferit, et huic pressioni quoque adscribit,
 quod homines robusti ad alui siccitatem proclives
 sint, cum nimirum chylum copiosius in absorbentia
 vasa premant, addit etiam in his resorberi tenuissi-
 mam foecum aluinorum partem, quae ut volatilis
 spiritus ad vigorem machinae totius multum con-
 fert, et monet simul imbecilles homines, purganti-
 bus medicamentis debilitatos, ex hac analogia assu-
 ta affa foetida et volatilibus medicamentis refici.

p. 35. In sectione huic capiti adiuncta de appetitu et
 digestione deprauatis agitur. Causae famis, et
 eidem oppositi defectus appetitus, succincte indi-
 cantur et remedia subiunguntur: v. c. in viscidii
 copia, vbi roborantia et aromatica medicamenta
 non conueniunt, praeter amara et aloetica, pur-
 gantia, etiam emetica conducunt, his enim non
 solum euacuatio viscidii et stimulus fibrarum relaxa-
 tarum praestatur, sed etiam secretio bilis adiuuatur.
 Emetica autem iejuno ventriculo dari iubet exhi-
 bita ad operationem promouendam larga copia in-
 fusi chamomillae, magis tamen commendat infusi
 calidi armoraciae moderatos haustus, quod viscidum
 attenuat illudque quasi in aquam resoluit, et ven-
 triculum volatili suo sale stimulat et roborat.

p. 53. In capite secundo de secunda digestione agitur,
 quae non tantum mutationem chyli in sanguinem,
 per pulmones praecipue praestitam, sed et sanguini-
 sis in tenuiorem humorem, quem ille serum dicit,

p. 59. inuoluit. Tempore igitur, et ratione huius dige-
 stionis definita, in sectione addita de tenacitate
 sanguinis agit. Minime vero de cruento, sed de
 serosa sanguinis parte, per calorem in inflammato-
 riis nimirum febribus coagulata differit; distinguit
 itaque inter hoc coagulum et inter lentorem
 sanguinis

sanguinis a languida circulatione oriundum, et alkalina volatilia medicamenta, quae in hoc casu forte vtilia esse possent, in illo maxime noxia iudicat, cum motum solidorum et ita calorem quoque intendant. Serum tandem in putrida dissolutione non coagulari monet.

Caput tertium de vrina et morbis secundae excretionis agit. Cruda nimirum est vrina, quae ante primam digestionem, vt decet, absolutam emittitur, hac vero et secunda finita, bene cocta appareat; acrior redditur, si serum non recenter elaboratum, sed diurna circulatione acrius redditum, ad vrinae vias dicitur, et inde signa ex vrina in variis morbis deduci posse declarat.

In sectionibus additis varios morbos, qui vrinam concernunt, subiungit. In prima nimirum de genesi calculi agit et ostendit, eos, qui obstructionibus aluinis laborant, ad genesin calculi magis dispositos esse, cum, priori excretione non succedente, secunda multas particulas noxias non subiugendas suscipiat. Cruda quidem vrina, quae magis aquosa est, genesin calculi vix efficit, serum tamen non rite praeparatum in vitae sedentariae deditis et ex viscido laborantibus particulas terrestres copiosas obtinet, quae oleosis iunctae calculos albos vix duros, sed friabiles efficiunt, in his oleosae partes leuiores sunt, densius vero et subtile redditum oleum in corporibus robustis exercitatis duros reddit calculosas concretiones, ex qua differentia quoque medicamentorum calculum soluentium efficacia diiudicanda est.

In secunda sectione vrinam in excretione sua, in primis per calculos, impeditam considerat, in tertia vero de diabetis differentiis differit Cl. Auctor. Primam huius mali speciem cum diarrhoea comparat, et chylum nondum satis subactum per relaxatos tubulos renales transferri ostendit; secundam

ab

p. 67.

p. 71.

p. 84.

ab augmento renum per calculos obstruetorum deducit, vbi nimirum tubuli non compressi vrinam largius secernunt; tertiam a vitio bilis non rite se et excretae et nimiam sanguinis dissolutionem et vrinam largiorem efficientē declarat; quartam nervosām seu spasticam dicit, quae vrinam albam copiosam et insipidam sistit, auxilia his vitiis tollendis idonea simul exposita inueniuntur.

p. 91. Antequam ad digestionem tertiam et mutationem inde declarandam progreditur Noster, de natura animalium et vegetabilium in *capite quarto* differit. Vegetabilem victum hominibus conuenire ex intestinorum fabrica concludit, cum animalia graminiora longum, varie conuolutum et pluribus rugis instructum canalem intestinorum habeant; carniiora breuiores, minus circumvolutum et paucioribus rugis instructum. Procliuitas humorum animalium, qui per se nec alcalinae, nec acidae indolis sunt, in putredinem victum vegetabilem quoque exposcit. Hac occasione de varia putredinis euolutione in hominibus et ea per alimenta, potuenta et condimenta praecauenda proponuntur, quae ad diaetam in vario vitae genere et in morbis acutis et chronicis imperandam applicari possunt.

p. 114. *Caput quintum* tertiam digestionem describit, quae in continua elaboratione feri in humorem lymphaticum subtiliorem per ulteriorem progressum in seriebus vasorum tenuiorum praestita consistit, et quam mutationem per obseruata nutritionis pulli in ouo illustrat, et in duabus sectionibus et nutritionis rationem et fluidi neruei indolem et morbos declarat.

p. 127. In nutritione praestanda canales et elongantur et distenduntur et corpus eo usque incrementa capit, quousque cordis vis moderata ratione resistentias in minimis superat. Adulti in aequilibrio nutritionis consistunt, senes vero decrescunt, cum resistentia

stentia vasorum maior sit, quam vis cordis et ita successiva quasi quies usque ad mortem naturalem inducitur. Terrea basis recipit glutinosum coniungens et fluidum tenuissimum, quod per solidas quoque partes transit, easque suo modo humectat, et robur conseruat; nisi enim hoc esset, senilis fibra exsiccata minus resisteret, quam infantis. Nutritio autem non tantum in varia corporis constitutione, aetate et vitae genere, sed et in diuersis partibus corporis illius eiusdemque variat, cum humores non ubique aequali celeritate mouantur, nec ideo simili modo elaborentur; hinc etiam declaratur, quantum somnus nutritioni faueat. In fluidi neruei consideratione Cl. Auctor eius existentiam probat et contra illos defendit, qui vibrationes neruorum assumunt, tandemque praecipuos quosdam huius fluidi effectus in actionibus corporis recenset.

Caput sextum perspirationem et morbos tertiae p. 167.
 digestionis et excretionis considerat. Perspiratio enim insensibilis post ulteriorem humorum elaborationem perficitur, et ratione quantitatis et qualitatis indolem humorum reliquorum in corpore definit; hi enim si boni sunt et augmentur, plethoram fistunt, si imminuuntur, atrophiam inducunt, si qualitate peccant, cachexiae causae sunt. Si nunc, secunda digestione finita, tertia, ut decet, succedit, perspiratio libera est, et corpus leue et ad actiones aptum deprehenditur. Tertia digestione imperfecta, perspiratio et cruda et parca est, si rite absolvitur, bene coctam perspirationem fistit; haec tamen si subito reprimitur, peiores effectus sequuntur, in priori statu levatae tantum congestiones, in altero inflammaciones excitantur; illae largiore vrinae excretione, hae sensibili magis perspiratione corriguntur; ex qua re crises et in fano statu et in morbis variis euenient.

euenientes diiudicari possunt. Ex his etiam Noster externam et internam perspirationem comparat exanthematum in cute oriundorum rationem deducit, et dignitatem perspirationis a SANCTORIO accuratius expositae et ad reliquas corporis actiones et excretiones accommodatae declarat.

p. 182. In sectione huic capiti annexa de arthritide fusius agit. Cum haud raro defectus vltimae digestio-
nis et excretionis indigestos humores ad articu-
los deponat, caussas et differentias morbi, nec
non mutationes et metastases varie obseruatas
egregie explicat et medendi rationem ex morbi
natura et humorum depravatione deducit, aptaque
remedia proponit, quam succinctam tractationem
et alia, quae Cl. Auctor erudite exponit, recensione
breui vix assequi possumus.

p. 208. *Caput septimum* de atrophia exponit et Noster in tanta morbi varietate tres potissimum species defini-
nit. Primam marasmus seu atrophiam neruofam dicit, et omnes caussas, quae vim corporis et animi infringunt, allegat; huic itaque obnoxii sunt, qui excretionibus continuis in primis spermatis debilitantur, qui suppressas excretiones patiuntur, qui in febribus imperfectas crises experiuntur, qui animi vires nimis intendunt, in his enim omnes actiones ad nutritionem vltimam et fluidi neruei secretionem tendentes sensim paulatimque debilitantur et tristis nutritionis defectus inducitur. Secunda species a relaxatis vasibus in primis pulmonalibus pendet, et elaboratio humorum depravata diffuso sudore et vrina, lateritio sedimen-
to conspicua, se prodit; huic obnoxii sunt imbecilles, vitae otiosae dediti, qui tenui et fluido magis, quam sicciori vietu nutriuntur, nec non illi, qui nimio vsu medicamentorum mercurialium agitati fuerunt. Tertia species purulenta vel saniosa est, in qua nimirum aegri ob absorptas

absorptas particulas acres in febrim lentam coniunctur, quoinde omnis vis nutritionis destruitur. His speciebus aptam medendi methodum accommodat Cl. Auctor et vbique ad elaborationes et excretiones humorum suo modo adiuuandas, nec non ad robur vasis reddendum respicit. Subiungamus pauca ex hoc capite sparsim excerpta.

In neruosa atrophia amara, stimulantia, aloetica et rhabarbarina purgantia conueniunt, et corpus his ad alterantia medicamenta assumenda disponitur. Purgantium autem doses fortiores non sint, ne debilitatem augeant, et perspirationem iam deficientem infringant, si igitur operatio horum remediorum minus sufficiens est, matutino tempore, aliquot haustus aquae, in comitatu Eboracensi ad oppidum Scarborough * scaturientis, in qua semina cardamomi minoris coquantur, superbibantur, quo blanda euacuatio adiuuetur. His etiam iuscula carnium tenuia, minime vero meraciora, conueniunt, et cum ambulatio nimis debilitet, motus in equitatione et vectione in rheda iis suadeatur.

In doloribus capitis ex neruosa atrophia pediluvia conueniunt, sed magis conductit si incrementum pilorum ad aliquot pollices permittitur et pectinatio crebra instituitur, caput autem non tonditur. Si pili, vt in senio, ex defectu caloris et humiditatis in hoc morbo cadunt, ille sanari nequit. In genere monet Noster, capillos cerebrum optime defendere, non quod calorem foueant, sed quod superfluos humores perspiratione aucta excernant. In iunioribus et robustis hominibus, vbi aliae excretiones liberae sunt, tonsura capitis et innoxia et

* Haec aqua sal amarum, terram calcaream et parum martis continet, et duae drachmae salis in aqua solutae aluum leniter mouent.

et nonnunquam vtilis est, sed in frigidis et languentibus hominibus caput non melius, quam capillis contegi potest; experientia enim edoctus fuit Noster, capitis dolores et decubitus ferosos ad oculos praecipue nullo alio modo corrigendos, mitiores redditos fuisse, si capillis incrementum concessum fuerit.

p. 232. In *capite octavo* de structura et usu pulmonum differitur. Motus sanguinis per cor et pulmones et ideo effectus huius motus in sanguificatione breuiter declarantur. Cum itaque pulmones princeps organum secundae digestionis sint, et hac non rite peracta, tertia digestio vario modo laedatur, morbos pulmonum in primis chronicos *capite nono* et ultimo disquirendos sibi sumit Cl. Auctor, et in quinque sectionibus, 1. de catharrhis et congestionibus ad pulmones, 2. de asthmate, 3. de obstructionibus in pulmonibus natis, 4. de haemoptoe, 5. de abscessibus et ulceribus pulmonum differit et tractationi pathologicae monita therapeutica subiungit.

p. 280. Abundantia seri, a perspiratione suppressa potissimum oriunda, ad caput et pectus praecipue derivatur, nec semper pulmones ipsos, sed praeter nares et fauces laryngis et tracheae glandulas occupat, et excretione pituitae ex his partibus, ut decet, succedente pulmones ipsos a ferofo decubitu liberos reddit. Subita tamen harum excretionum cessatio pulmonibus saepe noxia est et phthisin inducit. Ex hac generali consideratione indicationem curatoriam deriuat Noster, et ostendit, quo usque regimen diaphoreticum vasa cutanea libera reddat, quo usque pituita, ad pulmones et caput deriuata, ibi coqui et reiici debeat, quo usque venaesectio et purgantia admitti possint, et quod purgantia mitigiora in primis salina eligi debeant, quippe quae perspirationem haud turbent. Ad **HIPPOCRATIS** dicta attentus monet, eum non de suppuratione

vera

vera, sed de cœta saepius pituita loqui, quando reiectionem puris in his morbis utilem esse iudicat. Tandem monet frigidas congestiones ab humida et frigida aeris constitutione oriundas, a calidis et cum inflammatoria sanguinis tenacitate coniunctis sedulo distinguendas esse.

Obstructiones pulmonum vel in vasis pulmo- p. 309.
nalibus vel bronchialibus eueniunt. Perspirationem pulmonum ex vasis minimis systematis arteriæ pulmonalis dedit Cl. Auctor, glandularum vero mucum ex arteriis bronchialibus tantum procedere asserit, cum lenta haec secretio ex rapidissimo arteriarum pulmonalium flumine deduci nequeat, hinc minus difficiles iudicat vasorum bronchialium obstructions, easque excretione viscidae materiae dissipari posse monet, et porro ostendit sensum irritationis in larynge et trachea omnino ab irritatione in ipsis pulmonibus facta distingui debere, in illo casu excretio pituitae acri facilius, in altero difficilius succedit. Obstructiones tamen vasorum bronchialium interdum habituales factae et sistema vasorum pulmonalium ad difficilem obstructionem disponere possunt, in primis si spasmi accedunt. Obstructio ex tenacitate sanguinis inflammatoria deriuanda in veram et celerem, ex viscidio acri in lentam magis suppurationem transit; visciditas autem sine dolore et irritante acrimonia congesta tubercula facit cum tussi sicca coniuncta; si tandem humores stagnantes viscidii terrestribus particulis abundant, verus pulmonum scirrus generatur. Ex his varia medendi methodus in obstructionibus pulmonum ex indicationibus praemissis breuiter indicatur.

Excretio sanguinis in haemoptoicis aut ex pul- p. 360.
monalibus aut ex bronchialibus vasis euenit, sequentia autem signa hanc differentiam indicare videntur. Haemoptoe ex arteriis pulmonalibus

magnam sanguinis tenuis et floridi copiam sistit, sine sensu doloris, et excretio interdum plenarie cessat; haemoptoe ex arteriis bronchialibus exigua sanguinis copiam exhibet, sed excretio longius procedit, et color obscurior sanguinis densioris cum pituita remixti appetet, cum hac dolor in pectore obseruatur. Signis reliquis, quae differentiam haemoptoe declarant, recensitis et indicatione curatoria exposita, venaesectionem eamque repetitam ut praestantissimum auxilium commendat, vasa enim euacuata, aut collapsa, aut, ut in reliquis vulneribus, leni suppuratione contracta, ita mutantur, ut sanguinem non amplius emittant. Infusa ex plantis, quae leniter adstringunt et aestum et acrimoniam corrigunt; postea adhibenda sunt. Specifica itaque medicamenta reiicit Noster et ostendit, tum ea, quae sanguinem incrassant, cum quae vasa minima stringunt, haemoptoe curam haud praestare, sed potius peripneumoniam inducere posse. Idem etiam de sic dictis medicamentis balsamicis, quibus vulneribus externis medemur, afferit. In accuratissimo igitur regimine diaetetico veram curationis viam positam esse monet Noster et curam laetis

p. 377. praecipue commendat. Si obstructio in pulmonibus nata est, vel ruptura vasorum in haemoptoe ex vehementioribus causis inducta neglecto regimine pessima symptomata inducit, tandem abscessus oritur, cuius causas et genesis, nec non signa concurrentia Cl. Auctor recenset; et inde prognosia

p. 386. variam format. Haereditaria phthisis cum haemoptoe coniuncta ut plurimum tristem exitum habet, haemoptoe tamen ex violenta causa inducta facilius curatur, in primis si solidae et fluidae corporis partes bene constitutae sint; phthisis fluxui menstruo vel haemorrhoidibus suppressis succedens vix sanatur; phthisis ex obstructione et inflammatione pulmonum nata sanationem admittit, si febris

et

et respiratio moderatae sunt, et abscessus optimum pus per expectorationem dimitit, minime autem si febris periodica fit, et pus malae notae excernitur. Phthisis cum tensione hypochondriorum coniuncta periculosa est, vitium enim in chyli praeparatione subesse declarat. De auxiliis in abscessu aperiendo et depurando, quo consolidatio fiat, longius nunc differitur, et ostenditur sub quibus conditionibus curatio abscessuum fieri possit.

De abscessu latente ad pleuram formato, eoque p. 408. aperiendo, quo pus educatur, nunc agit Cl. Auctor et hanc operationem ratione et experientia confirmat. Si pleura pulmonum inflammatur, crassior illa redditur, et ad pleuram thoracis accrescit, quam rem cadauerum dissectiones comprobant; signa collecti puris a tumore externo, ut in aliis partibus desumi nequeunt, nec internae curationes sufficiunt, cum abscessus fistulosi fiant, ibi itaque ubi priores dolores in inflammatione mota fixi erant, ibi incisio instituenda est, veteres etiam abscessum per cauteria aperiebant. Incisio autem periculum inferre nequit, et eo tutius a chirурgo instituitur, quando is post integumenta incisa duritiem resistenter a pleura callosa factam sentit. Haec etiam operatio feliciori cum successu instituitur, quam in eo casu, ubi abscessus ruptus empyema format; pus enim per operationem in loco inferiori thoracis, verae operationi empyematis destinato, non tam apte euacuari potest, in primis cum in longiori mora pus acre et rodens fiat, et faciliter resorptum febrim lentam efficiat et augeat. Variis igitur exemplis adductis hanc medendi viam Cl. Auctor illustrat et commendat.



XVII.

Orazione eccitatoria all' introduzione dell' in-
nesto de Vajolo del Sig. Dottore PIETRO
FRANCESCO PIZZORNO Lettore di
Teoria-Medica nelle Scuole del venerabile
Ospitale di Pammatone con l'aggiunta de'
motivi che devono obbligare li Medici ad
abbracciare la pratica di esso del Dottore
CARLO GANDINI. In Lucca per Filippo
M. Benedini 1759. 8 mai. pl. 8.

h. e.

D. PETRI FRANCISCI PIZZORNO Oratio
adhortatoria ad introducendam insitionem
variolarum, additis argumentis, quae medi-
cis hanc medendi viam inire persuadent
Auctore D. CAROLO GANDINI.

Et in Italia de inoculatione variolarum dissensus
medicorum est. Cl. GANDINI igitur cum eam
defenderet et Illust. LOMMELINO nosodochii
Pammationensis Director rationes exponere suscep-
ret, orationem Cl. PIZZORNO super hoc argumento
praemisit, ipse vero nonnullas cogitationes addit,
quae ad dijudicandam insitionem variolarum faciunt,
et decem, quae contra hanc medendi viam, mouen-
tur obiectiones proponit easque resoluit.

Oratio Cl. PIZZORNO, quae sub initium an-
ni 1759 in Lycaeо Genuensi in studiorum auspiciis
habita fuit, succinte recenset, quomodo inoculatio
variolarum in Asia a Circetiae incolis primum suscep-
ta, inde ad Byzantinos et per EMANVELEM TIMONI-
VM Medicum Graecum ad Londinenses deducta fue-
rit, et postea omnium praestantissimorum medi-
corum

corum assensum promeruerit; operatione deinde breuiter descripta, ea, quae praे naturalibus artificiales commoda habent, declarat, quod nimirum in dispositis ad morbum suscipiendum apto anni tempore infanis de reliquo corporibus operatio instituatur, quod porro ex naturalibus vel decimus, ex artificialibus vix ullus moriatur, quod in his pulchritudo faciei conseruetur, et quod tandem iiii, qui hac ratione variolas passi sunt, non amplius a crudeli et ingrato morbo afficiantur. Nihil itaque esse, ostendit Orator, quod homines a felici hac medendi via detinere possit, quam potius et inter Genuenses introducendam esse docet.

Praemittit nunc Cl. GANDINI cogitationes p. 3- medicoo - practicas super variolis, quae ad diuidicandam earundem infisionem ducunt. Licet miasmatis variolosi indeoles nondum nota sit, de illa tamen per effectus iudicare possumus. Alii in aere eius contagium continuatum posuerunt, alii in corporibus fomitem variolosum haerere prohibent, nunc cum causa proxima variolarum sit miasma et praedisponens quaedam in corpore, et occasionalis in aere assumi poterit, neque tamen vel una, vel altera morbum producit, nisi ambae concurrant. Si itaque una ex his remotis caussis leuior est, altera grauior, in benigna epidemia malignae et confluentes, in maligna autem benignae variolae intercurrere possunt, minime tamen negandum est, hac in re et alias et peregrinas caussas concurrere. Genus p. 6. autem neruofum primo attingitur, nam in accessu et euolutione variolosi miasmatis haud raro horripilatio, rigor, nausea, vomitus, inquietudo, dolor, stupor et conuulsio accedunt, et obseruatio docet miasmata quoque alia in primis recendentia v. c. purpurae vel scabiei similes effectus inducere. Licet autem multi sanguinem miasmatè infici contendant, his tamen non assentitur Nostrus, sed assumit

particulas morbosas, ex aere oriundas, particulas corporis dispositas afficere et primos variolarum motus praestare, quam rem ex concursu particularum, natura contrariarum, in mixtionibus chemicis declarare annititur, et porro diuersam vim per particulas neruis applicatas in gustu vario et aliis phaenomenis simili ratione explicat.

p. 13. In causam variorum symptomatum, quae ante eruptionem variolarum accidunt, Cl. Auctor inquirit, et effectus, quos in sanguine et toto corpore producunt, praeter eos, qui miasmati variolofo proprii sunt, inde declarat. Ad conuulsionem vnicے respicit, et citatis aliorum de fluido nerueo eiusque motu sententiis substantiam medullarem cere-

p. 17. bri, quae, quasi inter solidam et fluidam media videtur, aggregatum minimarum cellularum inter se communicantium appellat, quarum cavitates se extendere et contrahere possunt, fluidum nerueum seu spiritus animales aetherem corporis animalis dicit, qui, vti reliqua corpora elastica, comprimi et extendi potest, sic sine canalibus assumtis, in quibus fluidum progreditur et regreditur, varii motus per fluidum nerueum praestandos optime explicari posse Cl. Auctoris sententia est. Ex hac motus idea facilis etiam mutatio systematis neruosi a qualibet irritatione deducitur, et porro declaratur quomodo et elaboratio et secretio humorum iisdem motibus dirigatur et in statu morboſo perturbetur.

Sic ex phaenomenis, quae puncturam nerorum sequuntur, mutationis varia vis declaratur, et febrium natura earumque diuersitas diiudicatur, indeque Noster deducit conuulsionem, quae in variolis oritur, varios motus producere, quae non sequerentur, si nulla cum variolis conuulsio excitatatur. Licet enim varietatem symptomatum in vna eademque epidemia a dispositione fluidarum et solidarum partium in eo, qui variolis afficitur,

depen-

dependere concedamus, tamen nondum videmus, quomodo irritatio et inde nata conuulsio ab ipso miasmate variolofo semper et in omnibus subiectis separata assumi possit; id tamen praecipue vrget Noster, conuulsionem a vi miasmatis variolosi esse distinctum effectum et hoc, si sine illa incedit, morbum exitiale inducere non posse.

Febres, quae in desquamatione variolarum interdum eueniunt et letales sunt, inflammatoriae p. 28. dici merentur et gangraenosae, nec a materia variolosa deduci possunt, sed partim a perspiratione suppressa, partim a faburra in intestinis retenta et mota oriuntur, et sanguini destruetoriam qualitatem inducunt. Cum autem Noster de primo tantum et ultimo variolarum stadio differat, monet conuulsionem, quae in primo stadio accedit, solam causam esse symptomatum in secundo et tertio stadio variolarum noxiarum, si itaque ex eius sententia conuulsio a vera vi miasmatis variolosi non dependet, huic non nisi vis depuratoria humorum, quae corpori adeo utilis est, adscribi poterit. Con. p. 31. uulsionem autem primarium symptoma esse, ad quod in variolarum consideratione respiciendum est, ex eo quoque euincere studet, quod remedia antispasmodica, opium, cortex peruvianus et alia ab omnibus medicis commendantur et exhibentur, qui etiam in theoria morbi inter se dissentunt.

His expositis ad artificiales variolas consideran- p. 38. das se conuertit Cl. Auctor, et cum a quibusdam vulnusculis cuti infictis nulla incomoda oriri queant, in eo tantum est, vt ostendat effectus aliquos applicationem miasmatis sequentes non ex timescendos esse. Inprimis vrget lentam euolutionem, quae valida symptomata nunquam excitat, qualia ex vehementi applicatione miasmatis oriri possent, nec confluentes fieri variolas, quarum crustae

superficiem corporis in perspiratione cutanea impediunt. Porro monet praeparationem aptam praemitti posse, et tandem commendationem a praestantissimis medicis factam subiungit.

p.48. Addamus nunc pauca; quae passim in obiecti-
nibus notata inuenimus; prima nimirum obiectio
urget, medicum non excitare morbos, sed eos potius
supprimere debere: sed respondet Noster, esse offi-
cium medici excitare motus, quibus materia mor-
bosa agitatur et medicamenta cuncta inter alimenta
et venena medium locum tenere, ipsa etiam the-
rapia per ulcera et erosiones cutaneas praestita,
medelam in morbis valido auxilio assequendam
declarare. Secunda obiectio a simili contagio
morboso desumitur: miles nempe cane rabido
morsus per aliquot dies febre affectus, ab ea largo
sudore liberatus fuit, post aliquod temporis inter-
uallum noua febris excitata hydrophobiae et mortis
caussa exstitit; sic etiam febris post infestationem
miasmatis variolosi mota, forte non omnem mor-
bum tollit, sed iterum nouo impetu mouetur; mo-
net vero Noster, nullam inter venenum animalis rabi-
di et miasma variolosum esse relationem, cum per
obseruationem constantem probetur, sufficientem,
et cum veris variolis comparandam, esse depura-
tionem sanguinis et humorum in variolis insitis.
Simili ferme ratione ad sequentes obiectiones re-
spondetur et ostenditur, variolas artificiales nun-
quam grauius malum esse, quam naturales; illis,
qui per viam naturalem a variolis liberi mansissent,
nunquam variolas per viam infestationis induci. Facile
etiam refelluntur obiectiones, quibus urgetur, non
imitandam esse medendi viam, quam barbari po-
puli introduxerunt; nec assertis clarissimorum viro-
rum in re, quae sanitatem et vitam hominum
concernit, fidendum esse; theologorum consensum
esse acquirendum, antequam inoculationem susci-
piamus.

piamus. Obiectio octaua vrget, miasma variolo- p. 64.
sum alia mala et molesta et exitiosa excitare posse,
ea tamen constanti obseruatione prosperi euentus
inoculationis refellitur.

Duae vltimae obiectiones Genuenses concer- p. 67.
nunt; dissentientes enim asserunt variolas naturales
Genuensibus non adeo exitiosas esse, et Noster qui-
dem benignitatem climatis et viuendi rationem
laudat, inde tamen non perspexit epidemiam vario-
losam mitiorem esse; confirmat potius experientia
reiterata, infantibus bonae indolis variolas lethiferas
vel pessimis symptomatibus molestas euenisse, quod
ex systemate neruoso facile irritando declarat. Ge-
nuenses quidem ad res nouas suscipiendas non facile
adigi posse concedit Noster, attamen si exemplo
familiarum illustrium, vt in aliis regnis insitio
commendaretur, hanc medendi viam melius suc-
cessuram esse confidit.

Sub finem tractationis varia contra dissertatio- p. 74.
nes quasdam, quae inoculationem dissuadent, pro-
ponuntur, quae vero ex iis, quae haetenus adduxi-
mus, intelliguntur.



Fränckische Sammlungen von Ammerckungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie und den damit verwandten Wissenschaften. Vierter Band. Nürnberg, bey George Peter Monath. 1759. 8. Alph. I. pl. II. tab. aen. 5.

h. e.

Franconica collectio obseruationum, ex physica, medicina, re oeconomica et reliquis, affinitate quadam cum his connexis, scientiis de promtarum. Volumen. IV etc.

Varias quidem diuersi argumenti hic deprehendimus obseruationes, ex quibus autem eas tantum, quae nostram in primis rem pertractant, commemorare libet.

p. 36. Part. XIX. no. 5. *De saccharo ex acere obseruationem communicat Cl. GRVNER. Arbor haec, cum qua experimentum instituerunt, ea aceris species est, quae a c. BAVHINO in Pinace Acer montanum candidum et ab Ill. LINNAEO Acer foliis quinquelobis inaequaliter serratis floribus racemosis vocatur. Initio mensis martii truncum dictae arboris ad duorum pedum distantiam, a radice computatam, ad profunditatem duorum pollicum cum dimidio perforarunt sique intra quatuordecim dies sufficientem quantitatem aquae inodoreæ limpidae et dulcis obtinuerunt. Aqua haec in aheno cupreo, stanno intus obdueto, forti ebullitione ad quartae partis remanentiam cocta perque filtrum traiecta, denuo igni admota et ad syrapi spissioris*

spissioris consistentiam redacta fuit. Ab igne dein remotam continuo Noster agitauit, donec ea refixerit, sicque magma, colore et sapore saccharo sic dicto Thomaeo simile obtinuit. Pari etiam ratione ex aqua nucis arboris saccharum, sed minus dulce, obtineri posse, huiusque aquae ex hac non solum, sed et ex illa arbore tempore frigidiori quantitatem maiorem quam calido colligi, Noster prohibet. Cum autem illa aceris species, cuius mentio hic facta est, rarius in regionibus nostris occurrat, Noster proinde cum ea aceris specie, quae communior est et *acer campestre et minus c. b. p.* et *acer foliis lobatis obtusis marginatis Linn.* vocatur, experimentum instituere, suadet. Praeterea arborem, quae sic tractatur, dummodo semel in anno perforetur, nec medulla eius laedatur, detrimentum nullum accipere perque multos annos hisce usibus inferuire posse, legimus.

No. 8. *Observationes microscopicas inseruerunt p. 47.*
L et **L. A. I.** 1) Vinum microscopicò subiectum inumeros acaros exhibuit. Vermiculos hos, in caseo alias reperiundos, incuria oenopolae, puritatem vasorum ligneorum negligentis, eo deuenisse Cl. Auctor arbitratur, caseosque in primis hollandicos ex vinosis cellis relegandos esse, suadet. 2) Guttula ex naso foeminae, coryza laborantis, stilans et microscopicò disquisita inumeros vermiculos ouales exhibuit. 3) In vetusto bibliopegorum glutine atque pistorum fermento, microscopicò disquisitis, anguillulae in conspectum venerunt, quae, erucarum more, motu reptili progressae sunt, et nouem pedes totidemque circulos habuerunt. Circa os forceps quasi apparuit; caput antennis duabus et utrinque oculis fuscis instructum fuit; cutis innumeris globulis obsita pedesque, verrucis similes fuerunt. Per totum corpus duas striae,

striae, pro intestinis forte habendae, apparuerunt. Cutis praeterea pellucida et alba, caput linea nigra notatum annulique vltimi extremitati duae verrucae fuscae cum aliquot vncis appositae fuerunt. Cae-terum gluten et fermentum, quo vetustiora sint, quoque plus acidi euoluti habeant, eo aptius ad hanc rem esse, deprehendimus.

p. 54. No. 9. *Vermium niualium* descriptionem inseruit Cl. DELIVS. Reperti fuerunt nimirum die decimo quinto mensis Ianuarii anno 1758 in superficie niuis vermes nigricantes pollicemque longi, quorum caput antennis instructum, venter vero ex annulis duodecim compositus pedibus sex donatus fuit. Tardo isti incesserunt gressu nec sextum diem superuixerunt. Vermes hos ex terra in niuis superficiem deuenisse, Noster, cum ROESELIO eandem sententiam fouens, ostendit. Duodecimo enim dicti mensis die frigus insigne fuit, quod vero altero die ita decreuit, vt cum pluuiosa tempestate commutaretur. Tempestate hac per tres dies durante vermes in conspectum venerunt, die decimo sexto, gelu iterum ingruente, nondum amplius visi.

p. 61. No. 10. *De vermis singularibus in corpore humano* repertis duas obseruationes adposuit Cl. BOENNEKEN. Sen. A foemina, cui asam foetidam exhibuit Cl. Auctor, vermis viuus vomitu reiectus fuit, qui sesqui cubitalis digitumque crassus pilis longis, nigro-rubescensibus obsitus pedibusque innumeris instructus atque erucae similis fuit. Aliam etiam vermium speciem in tribus infantibus obseruauit Noster, qui usurpati pilulis laxantibus, quibus mercurius dulcis admixtus fuit, copiam haud exiguam scarabaeorum viuorum cum faecibus eiecerunt. Hi grano hordei non maiores capite

capite atque thorace nigro, pedibus sex et duabus alis fuscis instructi, iis similes fuerunt, quos aestate interdum in rosis cernere licet.

No. II. *De subitanea viri sani interp. 66.*
rixas morte mentionem fecit Cl. HIRSCHING.
 Vir iuuenis sanus procerus post prandium cum socero, sene debili, statura paruae altercatur; paulo post se inuicem verberibus aggrediuntur, ita tamen ut socer succumbat. Sed momentis aliquot vix praeterlapsis alter iste iuuenis, sanus antea visus, subito retrorsum cadit exanimis et moritur. Corpore disquisito primo die nullam laesione, altero autem maculas hinc inde liuidas deprehenderunt. Dissecto posthac capite nullam laesione sed omnia fere cerebri vasa, sanguine referta et valde distenta, ventriculise dissectis cochlearia aliquot aquae tenuis, flauescentis deque reliquo notatu dignum nihil repererunt. In reliquis visceribus laesione nullam, nec ullam aliam dispositionem, quae mortis causam suppeditare potuisset, animaduerterunt. Ex his itaque virum istum, inter rixas mortuum, non vi, sed apoplexia periisse, collegerunt; idque omni quidem iure, cum vita ante acta multum insimul lucis adfuderit. Saepe enim memoratus iuuenis animi deliquis et cephalalgia laborauit et iracundus admodum fuit, adeo, ut ira saepe excandescens se ipsum ignoraret.

Part. XX. no. 2. Observationem *de virtute sa-* p. 121.
lutari aquae pluviae vel fluialis frigidae in curan-
da excoriatione infantum in primis ea, quae pone
aures deprehenditur, inferuit Cl. BOENNEKEN.
 Lintea nimirum mollia dictis aquis madefacta mane et vesperi imponi iubet sicque intra paucos dies malum istud cessare, perhibet. Cerussam vero pulue-

pulueremque lycopodii, quae alias inspergunt, ceu noxia in eiusmodi casu reiicit.

p. 128. No. 3. *Tres obseruationes practicas communicauit Cl. MÜLLER, quarum prima de verae phthiseos curatione agit. Foeminae, quae phthisi vera fereque consummata laborauisse dicitur, puluerem ex radice ari, aristolochiae rotundae et pimpinellae albae insimulque species ex iisdem radicibus aliisque herbis pectoralibus pro infuso exhibuit, quibus per aliquot menses usurpati morbus euanuisse pristinamque sanitatem recuperauisse aegra perhibetur. Sed asthamati potius, quam phthisi haec medicamenta adhibita fuisse suspicamur.*

p. 135. Altera obseruatio caecitatem, inter hydropis curationem, subortam commemorat. Abdominis tumore post usum euacuantium fortiorum aliorumque remediorum imminentio, oculi sensim sensimque vigorem amiserunt, donec plenaria caecitas oboritur. Aegra quidem mali huius ortum remediis istis valentioribus attribuit, dum vero ob animi deliquia, quibus aliquoties vexata fuit aegra, abdomen ligaturis fortibus constringitur, visus aliquanto redit. Qua re percepta ligaturarum usus continuatur insimulque decoctum ex corticibus atque radicibus roborantibus exhibetur, quibus usurpati visus perfecte rediit.

p. 139. Tertia obseruatio dysenteriae, peculiaribus symptomatis stipatae, meminit. Vir quidam dysenteria corripitur, ita, ut cum diarrhoea insignis insimul tenesmus accedat. Deiectionibus aluinis sub nocte cessantibus vomitus spontaneus oritur, quo altero die adhuc durante aluus nunc plenarie obstruitur doloresque insigniter augentur. Noster itaque aegro emeticum offert, quod vero iste renuit, dicens, se per tres annos nausea iam, post superatum aliquem morbum, relicta laborare eamque ita

ita se habere, vt vel minimo motu in vomitum illico degeneraret. Rhabarbarum proinde exhibetur, quod vero vomitu pariter eiicitur; quare Noster clysma iniici iubet, quo iniecto tanta lypothymia accedit, vt per longum tempus exanimis apparuerit aegrotus. Ad se iterum rediens clysma-
tum vsum continuatum renuit tandemque elixirio ex chamomillae et cascarillae extracto nec non tinctura rhabarbari parato insimulque infuso cha-
momillae versusque vesperam diacordio FRACASTO-
RII usurpato conualuit.

No. 4. Observatio de calculo, qui ex uretere p. 143.
per abscessum inguinis sinistri exiit Auctore Cl. RVM-
PELT. Vir quinquaginta octo annorum aliquoties
aegrotans in inguine sinistro tandem tumore cum
inflammatione et dolore coniuncto cruciatur,
tuncque sibi ipse cataplasma ex farina herbisque
emollientibus, in laete coctis, applicat, quo facto
tumor in dies increscit molliorque fit, et dolores
mitiores euadunt. Omni consilio contemto ab-
scessus rupturam naturae committit, praeter id,
quod in applicando cataplasmate omni die conti-
nuaret. Rumpitur demum abscessus sicque statim
puris flavi foetidique mensurae duae et ultra efflu-
unt. Vulnus ipse iterum pertractat aegrotans
eoque, quantum potuit, mundato emplastrum ex
diachylo et meliloti emplastro composito imponit,
sicque per aliquot tempus absque vulneris consoli-
datione continuat. Tandem accidit, vt, dum in
vulneris deligatione renouanda occupatur, vna
cum insigni puris copia corpus durum in terram
proiiciatur, quod disquisitum lapidis formam ha-
buit et drachmas quinque cum dimidia ponderauit.
Corpore hoc peregrino egresso remediisque ad
consolidationem facientibus, a pharmacopola quo-
dam adhibitis, vulnus consolidatur, et aegrotans

absque ullo incommodo relicto sanitatem recuperat.

p. 177. No. 7. *Observationes de febribus catarrhalibus malignis petechizantibus in occidentalibus Franconiae prouinciis per aliquot annos grassantibus* Auctore Cl. HIRSCHING. Ex his tantum notamus, camphoram ab aliquibus in dictis febribus laudatam, noxiā fuisse, eosque fere omnes, qui eam usurparunt, obiisse.

p. 226. Part. XXI. No. 4. *Litteras, microscopicas quasdam observationes continentes, ad Cl. LEDERMÜLLER dedit Cl. MAHLING.* His animalcula in semine arietis et galli gallinacei reperta nec non anguillulae, in glutine bibliopegorum visae, describuntur adiectisque iconibus illustrantur.

p. 236. No. 6. *Litteras de correſto microſcopio anatomico ad Cl. DELIVM dedit Cl. LEDERMÜLLER.* Correſto haec in eo conſtit, vt microſcopio, quod Cl. LIEBERKÜHN excogitauit, cochlea addatur, qua mediante lens furſum deorsumque dirigi reique diſquirendae proprius remotiusue admoueri potest. Microſcopium in adiecta icone delineatur.

p. 241. No. 7. *Observationes anatomicas addidit Cl. DELIVS.* In infante octo hebdomadum labium superius atque maxilla superior ad vomerem vsque fissa apparuerunt, ita vt nasus adeo interius velumque palatinum et vuula diuisa eſſent ſicque lupi faux quodammodo repraesentaretur. In eodem etiam infante octo costae verae in dextro latere fuerunt, ſiquidem cartilago primae costae spuriae ſterno immediate adhaesit. Tandem etiam locus, vbi canalis arteriosus BOTALLI concreſcere incipit, deteſtus fuit isque ille eſſe dicitur, vbi dictus canalis cum arteria pulmonali coniungitur.

Part.

Part. XXII. n. 3. Observationem de vi salutari p. 325.

vitri antimonii cerati communicauit Cl. BOENNEKEN.

Senior. Eximiam huius remedii virtutem, cuius praeparatio in Actis Edinburgensibus describitur, non solum in dysenteria, sed etiam in lienteria, fluxu hepatico et quocunque alui fluxu laudat et expertus commendat hacque occasione aliis etiam remedii, olei nimirum momordicae meminit, quod bono cum successu in dysenteria infantum exhibuit.

No. 5. Descriptionem cataractae secundum methodum p. 332.

dum DAVIELII instituit Cl. KEPHALIDES. In nonnullis aegris, quorum lens crystallina opaca fuit, eam bono cum successu extraxit, ita ut specilli ope clare et distincte obiecta discernere valerent. Restituit etiam Noster aegrotum, gutta serena laborantem. Venaesectione nimirum administrata, posthac emeticis repetitis, purgantibus, vesicatoriis in nucha tunc in brachiis et suris applicatis, remediisque volatilibus externe usurpati intra tres septimanas visum recuperauit.

Part. XXIII. no. 1. Illustrationes observationum p. 371.

et experimentorum microscopicorum addidit Cl. DELIYS. Hic in nonnullis iconibus habitus et constitutio animalculorum spermaticorum atque etiam mucoris, in racemo reperti subque microscope disquisiti, illustratur et describitur. Repraesentatur etiam in duabus tabulis microscope MVSCHENBROECKII, quod vero ita mutatum est, ut ceu nouum considerari atque, cum ad plures usus impendi possit, tanquam vniuersale haberi mereatur.

No. 2. Sectionem in duabus foeminis, quarum p. 427.

abdomen in insignem molem excreuerat, instituit Cl. DELIVS. In priori abdominis altitudo, a sterno ad inguina usque dimensa, tres pedes cum dimidio

fuit. Ex abdomine post mortem perfozzo plus, quam centum et octoginta librae liquoris viscidi et obscure rubicundi effluxerunt. In posteriori autem, post mortem disquisita, abdominalis diameter tres pedes tresue pollices, liquor autem tanta visciditate praeditus fuit, ut, non nisi copiosa aqua iniecta, euacuari posset. Hoc euacuato et abdomine disquisito ingens saccus in conspectum venit, qui vnde cum peritonaeo, omento, intestinis et mesenterio, nec non cum hepatis margine eiusdemque superficie concava atque vesicula fellea, cartilaginibus costarum spuriarum et mucrone sterni ita concreuit, ut omnia fere viscera abdominalis obtegerentur.

P. 437. No. 5. *Observationes chirurgicas apposuit Cl. s. A. K.* Prima hominis meminit, qui enteroepiplocele scrotali, per duodecim dies iam incarcera ta, laborauit. Auctor noster anonymous, sectione instituta, intestini, insigniter tensi, portionem, duodecim pollices longam, sacco suo adhaerentem, omentumque destructum et ex parte putrefactum reperit. Intestino separato et deposito, et omento bis ligato huiusque portione aliqua resecta vulnera que rite tractato post quatuor septimanas aeger conualuit.

P. 440. Tertia obseruatio tumoris scirrhosi mentionem fecit, qui, in palpebra superiori oculi sinistri situs, tam felici successu exsectus fuit, ut nono die praeterlapso aegra iam in integrum restituta cerneretur.

Vltima demum obseruatio polypum carnosum commemorat, qui, in dextra cordis auricula repertus, in duos ramos diuisus fuit, quorum alter maior per ventriculum dextrum in arteriam pulmonalem transiit, ubi in quadraginta ramos minores dissiliit. Alter autem, in vena caua fluctuans,

vltra

vltra triginta ramulos habuit. Pondus polypi unicam vnam cum dimidia et drachmas tres cum dimidia aequauit.

Part. XXIV. No. 3. Casus praticos rariores p. 462.
 communicauit Cl. BOENNEKEN. Sen. Primus viri quadraginta annorum meminit, cuius comas omnesque pili, nigritie antea donati, post grauem animi affectum in vna nocte nueueum colorem induerunt. Sorte post annum mutata, pili etiam mutationem rursus subierunt pristinumque colorem nigrum nimirum recuperarunt.

Alter casus duorum calculorum mentionem facit, p. 469. qui ex abscessu abdominis diuerso tempore exierunt. Foemina septuaginta quinque annorum tumorem in inguine dextri lateris obtinuit, quo sponte rupto materies purulenta vltra annum exiit; tandem hoc praeterlapso lapis, postque sex septimanas aliis iterum, nucis moschatae figuram repraesentantes in conspectum venerunt. Ulcus, dum haec litteris mandata sunt, nondum consolidatum, foemina vero de reliquo sana fuit. Prior calculus scrupulos quinque ponderans, in basi planus et vndique velut ex acinis compositus fuit. Posterior vero, priori fere similis, minor plures superficies et angulos habuit scrupulosque duos cum dimidio ponderauit. Ambo calculi adiecta icone repraesentantur.

Tertius casus excrescentiam commemorat, quae p. 482 in ventre recens nati infantis in conspectum venit. Inter cordis nimirum scrobiculum et umbilicum integumenta ita diuisa fuerunt, ut cultro quasi discissa apparerent. Ex hac fissura excrescentia rubescens sub membrana pellucida prominuit, quae magnitudine magnum pomum borsdorffianum repraesentauit. Variis auxiliis incassum tentatis infans octauo post partum die praeterlapso obiit. Corpore aperto reque accuratius disquisita Noster

reperit, excrescentiam, illam portionem hepatis, peritoneo testam, constituisse, causam vero huius rupturae a lapsu, quem mater, onere indorso impo-sito, septimo grauiditatis mense passa fuit, absque dubio suppeditatam esse, putat.

p. 487. No. 4. Variae obseruationes medicae leguntur, ex quibus sequentia tantum notamus. Foemina ascitica hernia umbilicali laborat, quae, aucto hydrope ita elongatur, ut in processum longum extendatur. Hoc sponte rupto sensim insignis copia aquae effluit; qua effluxa tumor abdominis et processus euaneantur, ita, ut sanitati proxima nunc esse videatur.

p. 492. In dysenteria gluten commune, bonae tamen notae, aqua solutum insimulque rubro colore tintum et cum citri vel aurantio malo mixtum, sub forma gelatinæ aegræ exhibitum, opem tulisse, legimus.

p. 493. Decoctum radicis nostratis coeruleæ, homini quidam, hydrope laboranti, exhibitum, omnes aquas exturbauit, ita ut haemorrhodibus largius post-hac fluentibus ylcereque in pede sinistro oborto, aeger morbo nunc liberatus esse videatur. Homo quidam, copiosa pinguedine commesa, de flatibus inde et ruetibus insimulque appetitu prostrato per multum tempus conqueritur. Exigua hepatis antimonii portione casu assumta aliquoties vomitu materiæque sebo similem reiecit, qua reiecta aegritudine liberatur.

p. 514. No. 6. Quomodo ex brassica radice Napi panis bonaæ notæ coqui possit, docet Cl. GLASER. Dictæ nimirum radices lauantur et membrana external liberatae atque in partes dissectæ in cribro exsiccantur, tandem arefactæ molendini ope in farinam rediguntur, cuius librae vni vncia vna duaeque drachmae fermenti panifici additur posteaque eodem modo, ut panis, praeparatur et coquitur. Panem inde ortum, sapidum, nullam molestiam corpori inducere et annonae caritate panis cerealis defectum supplere posse, Noster autumat.

XIX.

Svenska Spindlar uti sina Hufvud - Slagter in-
delte samt under nagra och sextio färskildte
arter beskrefne och med illuminerade Figu-
rer uplyste pa Kongl. Vetensk. Societ. i
Upsala befallning utgifne af dess Ledamot
C A R L C L E R C K : CAROLI CLERCK, Reg.
Soc. Scient. Vps. Membr. aranei Suecici,
descriptionibus et figuris aeneis illustrati, ad
genera subalterna redacti, speciebus vltra
LX determinati, auspiciis Regiae Societ.
Scientiar. Vpsaliensis. Stockholmiae, literis
Laur. Saluii. MDCCCLVII. plag. 21. tab.
aen. viuis coloribus pict. 6.

Ill. LINNEO dignus discipulus Cl. CLERCK exhi-
bet hic aranorum historiam dispositionemque,
qua huc vsque aptior locupletiorque nulla fuisse
videtur, et licet Auctor Sueciae tantum indigenos
araneos descripserit atque in ordinem redegerit,
nullum tamen est dubium, quin reliqui omnes, in
aliis terrarum regionibus reperiundi, ad eundem
potuerint reduci; cum in construendo systemate
Cl. Auctor non solum suas, sed et aliorum, qui de
araneis ante ipsum scripserunt, inter quos princi-
pes nominabis ELEAZ. ALBINVM et LISTE-
RVM, consuluerit obseruationes. Tractatum
hunc, in Suecica et latina lingua, vt ex supra
indicato eius titulo appareat, conscriptum, actis
quidem Regiae societatis scientiarum Vpsalien-
sis inferendum destinauerat Cl. Auctor, quod etiam
dicta societas non abnuerat, sed cum integer ille
nimium spatii in vno horum actorum volumine
praeripuissest aliis commentationibus, et si in plura
dispergi debuisset volumina, orbis eruditus iusto
longius caruisset illo, quem tamen vt quam pri-

mum ille acciperet, dignum censebat societas, Auctori illa consuluit, vt seorsim ederet. Quare etiam factum fuit, vt Cl. Auctor, quod tractatum hunc academiae legibus accommodaret, in descriptionibus breuitati studuerit, auctoresque, quos iure citare potuisset, omiserit atque obseruationum plurimas, quae in systemate condendo nihil iuvant, ad completam vero historiam omnino pertinent, reticuerit. Cum plures etiam species reperierit, quam huc usque cognitae fuerunt, nomina noua excogitare debuit, quibus si alia substituantur, sibi perinde fore asserit, nec minus gratum, si post reiteratas obseruationes plures species sub una locatae fuerint; ex singulari enim plurium specierum metamorphosi, quae in diuersa aetate fieri solet, in determinandis speciebus magna oritur difficultas. Quae in posterum de iis experientia ipsum doctrinam, in supplemento cum litterario orbe se communicaturum esse spondet, ideoque omnes historiae naturalis amatores rogat, si quae ullibi occurrant species in hoc libro nondum descriptae, vt illas ex methodo, in hoc tractatu recepta, describant, depingant et, adiectis araneis, ad Cl. Auctorem mittant, quas demum grata mente cum nomine Auctoris supplemento inserendas curabit. Haec in praefamine praemisit Cl. Auctor, tractatum vero ipsum in duas partes dispescuit, in quarum priore de araneis *in genere*; in posteriore de aranearum *diuisione in distincta agmina, classes, genera et species agit.* Partem priorem denuo diuidit in 2 sectiones et in priore ea exponit, *quae omnibus araneis communia sunt*, quorum pertinet eorum modus viuendi, mores, vieti, metamorphosis, differentia, quae intercedit mares et foeminas, modus coeundi, aetas et cet.; in posteriore vero *distincta aranearum membra describit*, quae sunt oculi, pedes, brachia, retinacula, os, gula, tubercula quatuor ad retia neenda a Natura data, anus et similia. Breuiter quidem omnia,

sed

sed ita apte et distincte in utraque sectione propo-
nuntur, ut nihil deesse credamus, quod ad com-
pletam horum insectorum cognitionem iure possit
desiderari. Cum ex his vero pleraque ex Cl. H O M-
BERGII, FRISCHII et aliorum scriptis, quae in omnium
manu esse solent, nota sint, iis hic repetendis su-
persedemus, parcentes spatio ad partem posterio-
rem, in qua Cl. Auctor copiosior est. Haec nouem
capita continet, et systematicam horum insectorum
distributionem exponit. Summum diuisionis fun-
damentum desumit Cl. Auctor a modo praedam
capiendi et a retium, quae struere solent, loco,
struetura et figura. En sciagraphiam totius sys-
tematis:

Aerei, in aere viuunt.	Retiarii, praedis- capiendis reticulos varie tendunt.	verticales.
		irregulares.
Aranei,	Saltatores, animal- cula non irretiunt, sed adsultim ca- piunt.	textores.
		lupi.
Aquatici, in aquis viuunt.	phalangia.	cancriformes.

Aquatici, in aquis viuunt.

Inter retiarios primum genus constituunt *verti-* p. 17.
cates, et nomen a retibus acceperunt; quae linea
pene perpendiculari ii expandunt. Habent ocu-
los octo, ut omnes aranei: quatuor aequalis magni-
tudinis in media fronte in forma quadrata, binos
vero in utroque latere positos, pedes priores lon-
gissimos, reliquos successiva longitudine decrescen-
tes. Species huius generis quatuordecim reperit
Cl. Auctor.

p. 48. *Irregulares*, a retibus irregularis formae constructis vocati, secundo generi retiariorum sunt adscripti. Hi inter spissos arborum suffruticumque ramos retia adeo densa extendunt, ut ne parvus quidem culex ea libere peruvolare possit. Quoad oculos et pedes cum praecedentibus conueniunt. Horum duodecim repertas species describit Cl. Auctor.

p. 73. Tertium genus complectitur *textores*, qui retia circularia, pyramidalia et variae figurae texunt. A reliquis retiariis in notis quibusdam characteristicis differunt; in praecedentibus enim longissimi pedes erant anteriores, in his vero posteriores; praeterea tubercula longiuscula ultra anum acuminate et oculos non concretos habent. Horum tres species Cl. Auctori innotuere.

p. 85. *Saltatorum*, qui ad retia texenda minus habiles deprehenduntur, primum genus continet *lupos*. Hi quatuor oculos maiuscules totidemque minores habent; duo vero ex maiusculis reliquos duos magnitudine superant. Pedes postremi longissimi, anteriores paullo minores, qui hos sequuntur, secundi, breuiores et tertii tandem breuissimi. Fœminæ ouorum folliculos, alio adhaerentes, secum gestant, pullique modo exclusi a matre nutriuntur, ipsique adhaerent. Vnde uiginti species illorum collegit Cl. Auctor. Non omnes species araneorum huius generis retia construendi facultate plane sunt destitutae, quod multi et ipse Auctor considerat, sed experimento didicit, nonnullos retia, quae facculos referunt, nere.

p. 113. Sequuntur nunc *phalangia*, quorum oculos natura situ locauit parabolico ita, ut maximi anteriores, sequentes minores, tertii minimi, postremi demum his paullo maiores, inter secundos et tertios mediae sint magnitudinis. Pedum longitudo in hoc genere varia est. Pectora hi aranei,

aranei, quod alii nequeunt, ad latera inclinare et mouere sine difficultate possunt, leui et crebro motu saliunt, semperque filum post se trahunt. Sub hoc genere decem species deprehensae fuere.

Araneos, qui partim ab ambis modo descriptis p. 127. generibus ob oculorum situm, partim a textoribus differunt, ad saltatores vero ob motum referendi sunt, in tertium genus colligit Cl. Auctor et eos *cancriformes* appellat. Ex septem speciebus, quas accepit, nullos characteres genericos inuenire potuit; quinque quidem species in oculorum situ, qui triangularis est, inter se conueniunt, sed reliquae in eo differunt; nec ex longitudine pedum, quae in qualibet specie itidem variat, certi quid determinari licuit. Characteres itaque ex specierum descriptionibus sunt repetendi.

Alterum agmen araneorum comprehendit, p. 143. *aquaticos*, sed eorum vnica duntaxat hic usque Cl. Auctori cognita est species. Generales itaque characteres de his nequeunt determinari. Quos obseruauit Cl. Auctor, omnes aquae sunt incolae, licet interdum aurae captandae ergo ad aquae superficiem emergant. Aluum circumdat vesicula quaedam, aere repleta et nitorem chalybis expoliti de se spargens; haec aquam ab aluo arcet. Etsi vero hi aranei semper fere aquam inhabitant, sub ea tamen eos fila ducere et centonem ad vasis latera adtexere vidit Cl. Auctor. Hic cento aquam non transmittit, sed sub eo aranei oua parere pullosque ex iis excludere solent.

Omnibus nunc recensitis generibus id sollempne p. 150. esse, supra iam notatum fuit, quod octo oculis gaudeant; est tamen quaedam, eaque vnica species, duobus tantum oculis instructa ideoque ad nulla praecedentium genera potuit referri, sed a Cl. Auctore sub finem tractatus seorsim *sub nomine aranea-*

araneorum binocolorum describitur. In his araneis nulli pectus inter et aluum deprehenduntur limites, sed utrumque unicum efficit truncum; pedum quoque structura, ab illa in reliquis obseruata longe recedit.

p. 133. Quo etiam methodus appareat, qua in describendis speciebus Cl. Auctori usus est, speciminis loco integrum speciei tertiae araneorum cancriformium, cui *aureoli* nomen tribuit, apponamus descriptionem.

Medio Iulii deprehendebantur hi in fastigiis arborum, assidentes folliculis et custodientes eos intra vestibulum ex filis raris contextum.

Oculi, forma triangulari positi: infimi minusculi, superimi quatuor paulo maiores.

Pedes, 2, 1. 3 et 4 breuitate se excipientes, subalbidi; rubidis utrobique articulis, multis pilis dissimiliter longis, setis et aculeis.

Pectus, ouatum, leuiter conuexum, in totum sericatum; facula medium percurrenti, alboque margine proxime pedes vix adspicuo, at proxime aluum lucidiori.

Aluus, ouata, sericata; cuneo furuo fimbria lucida anum versus paulatim obscurata circumducto. Huic succedunt flammulae luteae desinentes in marginem punicum, quo superior alui pars adspicua terminatur. Aluus subter semicana; segmento cinereo ad longitudinem.

Brachia, subalbida; articulis fuligineis, pilis, setis et aculeis nigris.

Retinacula, suffuscula, perpendicularia; tenui, alba lanugine.

Oua, circiter 40 aut 50 in qualibet massula, mediocriter magna, rotunda, noctuina, praecipue proxime ante exclusionem.

Pulli, ineuntibus diebus canicularibus prodeuntes, in initio fuere satis tenebricosi.

Noua physico - medica.

Quaeſtiones medico-chirurgicae, quas Ill. medicorum et chirurgorum ſocietas Madriti a Serenissimo Hispanorum Regio Principe L V D O V I C O fundata, praecedenti anno conſequendis praeemiis proposuerat, nuper a nobis commemora-tae fuerunt *. Commentarios autem ſuper illis argumentis conſcriptos ipſique traditos expectationi ſuae non feciſſe ſatis, ideoque futuro anno eadēm quaeftiones eruditorum ſtudio ſe denuo velle obla-tas, ipſam declaraffe legimus.

Inſuper duas alias, nouas theſes exhibuit, qua-rum ſingularum optimae elaborationi praefixa praemia eodem anno merentibus decernet. Illarum una, vti iam huc uſque uſu venit, medicinam ſtrięte ſic diſtam respicit: *Num lactis nimirum uſus per unius anni vel longius quoque ſpatium adhibitus, tale ſit remedium, quod arthritidi leuiori et vagae, vel et inueteratae et fixae, quin et ipſi podagrae, mederi valeat? et quaenam diaeta et quod vitae regimen una obſeruari debeant?* Altera theſis ad artem chirurgi-cam pertinet: *Quonam ſcilicet in caſu ad aneurysma tollendum extenorū tantum remediorū uſus conueniat? Quinam porro ſint caſus, in quibus nouiter inuenta machinamentorum genera p̄ae aliis auxiliis adhi-beri debeant? Et in quibusnam denique caſibus neceſſe fit, ut deuinciatur arteria?* Qui in explicandis hiſ quaeftionibus elaborare velint viri docti, vt ante nouembris primum diem huius, quēm agimus, anni 1761 ad Cl. Licentiatum, ISIDORVM RODRI-GVEZ, Societatis Secretarium, ſuos mittant com-mentarios, humaniſſime rogantur.

Illustris

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. II. p. 351.

Illustris porro Scientiarum Societas *Harlemenfis* in ultimo, qualem singulis annis celebrare solet, conuentu, nuper die vicesimo primo mensis maii habito, declarauit, ex omnibus illis commentationibus, quas super oblata *, quaestione acceperit de caussis naturalibus, cur lues per armenta huc usque vagans, diutius iam saeuiant, ac alia vice obseruatum fuerit? ne vnam quidem ipsius meruisse applausum, ideoque hoc argumentum bis iam frustra propositum, se nunc prorsus velle sepositum.

Aliam vero, semel iam praepositam quaestionem, iterum iam futuro anno 1762 exhibit eadem Societas: Quaenam puta in usum vocanda sint auxilia ad lac in feminis lactantibus augendum, vel imminuendum, vel quoque supprimendum? Quaenam inde mala ut plurimum oriri soleant? Et quo denique modo haec vel praeuerti vel curari possint?

Praeterea duo alia argumenta noua eruditorum examini commendat iam dicta Societas. Ad illorum primum optimus determinari debet modus in ratione vestitus, nutrimenti corporisque motus infantum, ab ipsis natuitate ad adolescentem usque aetatem obseruanda, ad longam vitam firmamque ipsis conciliandam sanitatem. Altera thesis concernit agros Hollandiae, quo optima nimirum detegantur adminicula, quibus illorum, siue alte, siue depresso siti sint, terrae pro diuersa harum in dole ita coli debeant, ut, quos modo possint, fructus suppeditent. Vir Cl. c. c. H. VAN DER A A, Illustris huius Societatis Secretarius, accipiet commentationes, quas de singula hac materie ad ipsum velint mittere viri docti. Illae, quae super duabus prioribus quaestionibus conscribentur, ante diem martii primum anni sequentis 1762, de tertia vero exaratae, ante eundem martii diem anni 1763 tradi debent Societati, vel in belgica, vel gallica

* vid. Comment. nostr. Vol. VIII. P. I. p. 179.

gallica, vel latina lingua compositae et ita descriptae, ut legi facile possint.

Petropoli ad nos quaedam habemus relata, ad institutum nostrum pertinentia.

Vir Cl. DAVID DE GORTER, Med. D. et augustissimae Imperatricis Medicus huc usque Ordinarius, a munere hoc suo discedendi veniam sub initium huius anni petiit atque impetravit, in patriam hac aestate nunc redditurus.

Itidem Vir Cl. JOSEPHVS THEOPHILVS KOELREVTER, Med. D. et Historiae Naturalis Professor, in Ducatum Würtembergicum, qui ipsi patria est, hac ipsa quoque aestate reuertendi cepit consilium.

Vir porro Cl. GERARDVS FRIDERICVS MÜLLER, Historiographus Imperial. Academiae Secretarius et Historiarum Professor, a Regia Scientiarum Academia Parisiensi in Correspondentium, quos nunc appellare huic placuit, numerum receptus nuper fuit.

Insuper Vir Cl. FRANCISCVS VLRICVS THEODORVS AEPINVS, Physices Professor, ab Augusta Russorum Imperatrice Collegiorum dicti Consiliarii honore exornatus fuit.

Praeter hunc ab AVGVSTA Collegiorum dicti Assessoris dignitate cohonestatus fuit Vir Cl. IOANNES GEORGIVS MODEL, Petropolitanae iam Academiae Scientiarum Membrum Honorarium, Imperialium pharmacopoeorum primus, cuius de arte chemica praeclara omnino merita plus simplici vice praedicandi habuimus occasionem. Annum ipsi quoque assignatum fuit stipendium mille numerosum vncialium.

Archiatri

Archiatri autem munus b. Cl. CONDOIDI obitu vacuum factum, nemini adhuc datum fuit. Eo interim funguntur Viri Cl. SINOPEVS et LERCHE, vterque Imperialis aulae Consiliarius.

Scientiarum denique commemoramus Academiam fecisse nuper iacturam in Viro Cl. MICHAELE KLEINFELD, Anatomiae Adiuncto, qui nuper die ianuarii tricesimo, vel si ad nostros recentiores fastos numerare velis, die februarii decimo, diem suum obiit supremum.

De Viri Cl. MARTINI FROBENII LEDERMÜLLER, caffarum huc vsque patroni Norimbergensis, meritis circa physicam microscopiorum ope illustrandam amplificandamque, aliquoties iam differendi gauisi fuimus opportunitate. Iisdem ille suis laboribus singularem iniit gratiam apud Serenissimum Marchionem Brandenburgico Bareuthinum, FRIDERICVM, ita vt hoc in numerum suorum Iustitiae Consiliariorum relatus ideoque Norimberga Baruthum euocatus fuerit.

Anno superiore 1760 sub initium mensis nouembris *Lugduni Batauorum* Vir optime meritus ac insigne sui desiderium relinquens, obiit FRIDERICVS WINTER, Med. D. et in Academia Lugduno-Bataua Professor Publicus Ordinarius, Sereniss. Arausiom. et Nassou. Principis, GUILIELMI quarti, ipsiusque Regiae viduae, ANNÆ, vtriusque summam imperii Belgii foederati ténentis, dum viuerent, Archiater. Ortu Clius, anno huius seculi trigesimo sexto Francofurti ad Viadrum doctor medicinae creatus, *de motu muscularum* disputans, anno seculi quadragesimo in gymnasio illustri Herbornensi Professor Medicinae, post quatuor annos

annos Franequerae Medicinae et Chemiae Profesor constitutus, paulo vero post ad idem munus in academiam Leydensem euocatus, insignem semper habuit applausum virosque doctissimos e scholis suis dimisit, simulque apud aulam Nassouensem eximia valuit gratia, longiorem omnino vitam promeritus: annum aetatis enim, dum ex hac vita discessit, quadragesimum modo octauum egit.

In archiatri munere secutus ipsum fuit Vir Cl. HIERONYMVS DAVID GAVBIUS, Med. D. eiusque ac Chemiae et Collegii Praetici in Academia Lugduno-Bataua Prof. Publ. Ordinarius, Vir nostra laude superior.

Eodem quoque anno iam superiore 1760 mense decembri Cassellis in Hassia praematura tatis morte orbi litterario ereptus fuit Vir Cl. ROSEPHVS LUDOVICVS ROGER, Med. Doct. Regg. Societt. Scientiarum Gottingensis et Monspeliensis sic dictus Correspondens, qui Gallorum exercitum hoc, quod tam diu proh dolor! saeuire pergit, bello sequutus fuerat medicus atque spem, quam ex merito de ipsis eruditione sibi fecerant viri docti, illo *de perpetua fibrarum muscularium palpitatione specimine*, nuper a nobis laudato *, confirmauerat.

Est omnino denique, cur doleamus mortem Viri et doctissimi et indefesso studio clarissimi, GEORGII LEONHARDI HUTH, Med. Doct. apud ciuitatem Norimbergensem publice constituti sic dicti Physici, Caef. Academiae Naturae Curiosorum Socii, qui nuper die februarii vicesimo quinto, a pulmonum morbo oppressus fuit Norimbergae anno aetatis quinquagesimo sexto. Omni non solum

* vid. Comment. nostr. Vol. IX. P. II. p. 234.

solum fidei, dexteritatis ac assiduitatis laude apud ciues suos medicinam fecit, sed variis quoque scriptis, praesertim vero non paucorum medici et physici argumenti librorum ex anglico atque gallico idiomate in germanicum versorum translationibus, inter medicos Germaniae doctos famam atque applausum meritus fuit.

Ex nostratis hic *Lipsiae* nuper obiit aetate confectus, **ADAMVS FRIDERICVS PETZOLD** Med. Doctor, Chemiae Professor Publicus Ordinarius, Imperialis Academiae Naturae Curiosorum Socius. Natus is erat anno iam superioris seculi septuagesimo nono die mensis maii vigesimo quarto Saydae, quod oppidum in extremis Saxoniae finibus illiusque traetu montano positum est. Patre v夫s fuit **FRIDERICO**, qui senatui illius urbis interfuit, et matre **MARIA REGINA**, ex gente **KOENIGIA** oriunda, a quibus parentibus ingenue multaque cura educatus, tam laetos in litterarum elementis progressus fecit, ut adolescens factus, illustre illud, quod Fribergae floret, gymnasium cum fructu posset ingredi. Postquam ibi ultra quatuor annos in litteras et artes, quae ab humilitate dici solent, insigni studio incubuerat, musicae simul, qua per omnem quoque vitam delectatus fuit, multum industriae impendens, versus finem superioris seculi, anno nimirum eius nonagesimo nono, in nostram vniuersitatem Lipsiensem sese contulit. Ab initio vitae suae academicae philosophum tum temporis hic loci celeberrimum, **HARDTIVM**, in sapientiae studio Doctorem secutus, medicorum deinde et fama et meritis illustrium frequentabat scholas, **IOANNIS** nimirum **BOHNII**, **AVGVSTI QVIRINI RIVINI**, **CHRISTIANI LANGII** et **ANDREAE PETERMANNI**. Quamuis nunc autem per quinque fere annos medicae artis fundamenta edoctus fuisset, prudenter

denter tamen iudicantis praecipitatum esse consilium, si quis ex praceptorum scholis modo egressus, illico ad aegrorum lectos aduolare morborumque curam in se suscipere vellet, binos medicos, medicinae feliciter facienda laude illo tempore praeclaros, KELLNERVM et GRIMMIVM sibi elegit duces, quibus aegros curantibus adstante indeque medicarum legum applicationem discere quorumque consiliis ipse in artis exercitio uti posset. Itaque hoc modo bene praeparatus, ut artem faciendi consequeretur potestatem, anno huius seculi nono academiam Halensem petiit, quam praeter HOFFMANNVM, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS illustriorem reddebat, sub cuius viri praesidio differentiationem *de curatione morborum e fundamento publice* eodem anno defendens, Doctoris Medici honores ab ordine medicorum illius academie consecutus fuit. Lipsiam deinde reuersus, aegrorum, ipsius auxilium implorantium, curam gerere non solum perrexit, sed chemiae potissimum illecebris allectus, ipsiusque quoque singulari studio vix non omne, a vita practica reliquum, tempus tradidit. Viri inde rerum chemicarum peritissimi laudem atque famam post breue temporis spatium adeptus et, ut artis tirones hanc edoceret scientiam, ab iis rogatus, lectiones chemicas publice habuit hacque ipsa ratione ipsius artis ambitum magis magisque emensus fuit in eoque pro viribus amplificando desudauit. Neque omnino negari potest, non solum bene calluisse Nostrum hanc, quam prae aliis scientiis professus semper fuit, scientiam, sed varia quoque detexisse noua ad proferendos ipsius limites admodum utilia visa, quo praeter alia hoc quoque referre velimus, quod succinum ita soluere potuerit, ut in modum KERKINGII, celebris illius medici Danici, embryones, infecta aliaque animalcula, eius ope condiendo a putredine praeseruaret. Ea

quidem cuncta, quae nouiter habuit inuenta, cum orbe quidem erudito se communicaturum esse promiserat; praeter aliquas tamen obseruationes chemicas atque medicas, ad Academiam Naturae Curiosorum missas, nihil eorum fecit iuris publici, quae tamen forte nunc post ipsius obitum expectari poterunt. Interim a modo dicta Academia in applausus testimonium anno seculi decimo septimo ipsius socius nuncupatus, post quinque autem annos, vigesimo nempe secundo, Chemiae Professoris Publici Ordinarii dicti munere atque honoribus a Pot. nostr. Rege cohonestatus fuit. Illi etiam tam diu, quam per vitae aetatisque vires licuit, satis facere studuit; senectutis autem infirmitatibus oppressus per ultimos vitae annos otio honesto se tradere coactus fuit, donec tandem die maii decimo septimo anni huius, quem agimus, 1761 vivere desineret.

Qui haec tenus per varia scripta in primis ad historiam medicinae litterariam pertinentia inter doctos medicos innotuerat, FRIDERICVS BOERNER, Medicinae Doctor et in Academia Wittebergensi Professor Publicus Extraordinarius, Academiae Naturae Curiosorum et Societatum Teutonicarum Goettingensis, Ienensis et Helmstadiensis Socius, nuperrime etiam hic Lipsiae obiit die mensis iunii trigesimo. Lipsia nostra ipsi patria fuerat. Patrem enim venerabatur magni nominis multorumque meritorum theologum, CHRISTIANVM FRIDERICVM, qui *Nostrum ex DOROTHEA SYBILLA, nata GRAEVIA,* suscepserat die iunii decimo septimo anni huius seculi vigesimo tertio. Postquam priuata optimorum praceptorum institutione fruitus fuerat, medicorum deinde scholas in Academiis Lipsiensi, Halensi et Wittebergensi frequentabat. Studiis tum academicis absolutis, Brunsuigam abi-
bat,

bat, vt medicinam ibi ficeret. Paulo vero post Helmstadium petebat, ibique Doctoris Medici honores atque iura consequebatur anno huius seculi quadragesimo octavo, dissertationem inauguralem *de arte gymnastica noua* sub praesidio b. HEISTERI publice defendens. Quamuis nunc vero priuatis potissimum litterarum studiis aetatem suam tradere constituisse, ab ipsa tamen praxi medica animus non abhorrebat. Eum in finem secedebat Guelpherbytum ibique mox ea gaudebat felicitatis suae parte, vt in amicitiam b. FRANCISCI ERNESTI BRÜCKMANNI, medici illius ciuitatis celeberrimi perueniret in eoque et fautorem rerumque suarum amplificatorem et socerum consequeretur. Post aliquot autem annos mutabat animum et Wittebergam se conferebat, in cuius urbis academia munus medicinam extra ordinem publice docendi a Potent. nostro Rege ipsi demandatum fuerat, quod etiam die nouembbris vigesimo nono anno seculi quinquagesimo quarto auspocabatur. Qum aduersa autem valetudine premeretur, ante duos annos ab hoc munere se abdicabat et in patriam urbem reuertebatur, donec tandem per phthisin viribus exhaustus, nuper exspiraret.

Praecipua ab eo haetenus edita scripta sunt sequentia.

Commentatio de ALEXANDRO BENEDICTO,
medicinae post literas renatas restauratore.
Brunsvigae, 1751. 4.

Comment. de vita, moribus, meritis et scriptis
HIERONYMI MERCVRIALIS, Foroliuiensis,
ibid eod. 4.

Comment. de vita et meritis MARTINI FOLLICHI MELLERSTADII, primi in Academia Wittembergensi Rectoris Magnifici et Professoris Medicinae. Wolffenbütteli, eod. 4.

- Comment. de COSMA et DAMIANO, artis medicae diis olim et adhuc hinc illincque tutelaribus, ibid. 1752. 4.
- Die gebährende Frau.* i. e. Femina parturiens, ibid. eod. 8.
- Super locum HIPPOCRATIS in iure iurando maxime vexatum meditationes. ibid. eod. 4.
- Bibliothecae librorum rariorum physico-medico-rum historico-criticae Specimen I. Helmstadii. 1751. Specimen II. ibid. 1752. 4.
- De AEMILIO MACRO eiusque rariore hodie opusculo de virtutibus herbarum, diatribe. Lipsiae, 1754. 4.
- De vera medicinae origine, potioribus eius ad HIPPOCRATIS usque tempora incrementis. Programma. Wittebergae, 1754. 4.
- Memoriae Professorum Medicinae in Academia Wittebergensi inde a primis illius initii renouatae, Specimen I. Wittenb. 1754. 4. Spec. II. ib. 1756.
- De statu medicinae apud veteres Ebareos; Dissertat. Resp. Samuel August. Wagner. ibid. 1755. 4.
- Noctes Guelphicae sive opuscula argumenti medici literarii, reuisa et aucta; accedunt primitiae Wittebergenses. Rostochii et Vismar. 1755. 8.
- Antiquitates medicinae Aegyptiacae; Dissertat. Resp. Paul Faber. Wittenb. 1756. 4.
- Relationes de libris physico-medicis partim antiquis, partim rariss. Fasciculus I^{mus}. ibid. eod. 8.
- Institutiones medicinae legalis in usum auditorum suorum adornatae. ibid. eod. 8.
- Nachrichten von den vornehmsten Lebensumständen und Schriften ietzlebender berühmter Aerzte und Naturforscher in und um Deutschland.* Ersten Bandes 1. 2. 3. 4. 5 Zehend. Zweyten Bandes 1. 2. 3. 4 Zehend. Dritten Bandes, 1. 2. 3. 4 Zehend. Wolfenbüttel. 1748-1756. 8.

Memoria CAROLI AVGVSTI DE BERGEN,
Medic. Doct. Path. et Therap. Profess. Publ.
Francofurti ad Viadrum. Acad. Imp. Nat.
Curios. et Reg. Scient. Berolin. Socius.

Quantum profit ad litteras accurate cognoscendas, eos annos, qui discendo destinantur, non, ut vulgo fit, artis finibus circumscribere, sed quam longissime huius temporis spatium extendere, et ipsa res docet, et exemplum eius viri, cuius vitam cum maxime descripturi sumus. Praeterquam enim quod iuuenilis aetas, cui proprium creditur esse discere, necessario multarum rerum cognitione imbuenda est, quae nullam magnopere cum ipsa disciplina coniunctionem habent, quarumque intelligentia rerum earum, quae disciplina tractantur, cognitioni non admodum prodest, quamquam egregie adiuuat animum cum ad intelligendos libros, tum ad acuendam subtiliter cogitandi et perspicue scribendi facultatem, hoc praesertim in initiis discendis molestum est, quod plerumque nihil nisi sententiarum ordo memoria comprehenditur. Quod etsi contemni non debet: tamen non sufficit. Neque enim videri potest eruditus esse, qui alienis velut oculis videt, quod fere sit eo tempore, quo magistris operam damus, quorum fides et doctrinas ad credendum recte impellit; sed qui cohaerentes sententias, quas edidicit, ipse sigillatim mente tractarit, qui multa earum cogitatione animum subegerit, ut et celerius arripere possit, et certius retinere, non memoriae vi, sed iudicii subtilitate fretus, qui, quomodo res ex se aptae sint, quid aut vitiosum sit in concludendo, aut parum graue in docendo et confirmando, suo ipse sensu iudicare didicerit, is demum vere poterit doctus, et sui quidem arbitrii doctus, adpellari. Haec

autem res non paucorum annorum industria effici potest; sed, quo maior erit animi facultas, quo acrior cogitandi contentio, quo ardenterius denique studium, quae omnia aetas adfert, eo erit etiam certior spes litterarum vere subtiliterque discendarum. Quod quidem beatus DE BERGEN recte iudicauit, quem paullo post narrabimus cognitis vulgari ratione initiis litterarum magnam etiam partem temporis subtiliori cognitione insumfisse, antequam ipse artem profiteri sustineret. Sed ordine vitam eius eponemus.

Ac si quodammodo ceteris felicior dici potest, cui nobilis contigit patria, certe ea, quae vitae rationi, quam quisque secuturus est, maxime conuenit: vel hoc nomine felicia vitae initia habuit CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN, qui Francofurti ad Viadrum anno huius seculi quarto die vndecimo Augusti natus est, quae quidem vrbs et viuendi humanitate, et litterarum celebritate ei multum profuisse videtur ad tantos doctrinae laudisque progressus faciendos. Sed hoc videri possit cum multis ei commune fuisse. Verum generis nobilitas, siue illa hominum opinione, siue sua dignitate admirationem mereatur, eo maiorem huic viro adfert commendationem, quo pauciores omnis fere aetas tulit, qui cum natalium splendore laudem etiam ingenii doctrinaeque, multo maiorem atque veriorem, coniungendam putarent. Referunt enim eius gens ad auctores rerum gestarum memoria satis nobilitatos. Quorum nonnulli quamquam ciuibus pace belloque profuerunt: tamen memoria eorum, si rem vere aestimemus, carior esse non debet, quam si qui ex eadem nati gente ab administranda republica ad litterarum otium se contulerunt, ne deesset huic genti, quo eius memoria omni modo conseruaretur. Patre autem usus est IOANNE GEORGIO, celeberrimo Medicinae Doctore et Professore in academia Francofurtana,

Scholae-

Scholaeque Fridericianae Scholarcha meritissimo, quem dubitamus vtrum filio, eruditionis et vitae laude conspicuo, plus deléctatum dicamus, an filium eo patre sibi felicissimum visum esse, cuius discipulus esse posset. Matrem habuit CATHARINAM ELISABETHAM FREMANTIAM, honesti mercatoris filiam. Etsi vero omni ratione adductus est a parentibus ad morum probitatem atque litterarum amorem: tamen ipse ingenii viribus concitatus sua sponte celeriter procurrit, atque statim ab initio optimam de se spem fecit. Fuit enim inviuersum tanta cupiditate discendi, tamque celeres habuit ingenii motus, ut omnes de eo puerो maxima quaeque exspectarent. Traditus est scholae Fridericianae praceptoribus, quos ipse saepe postea confirmauit summa fide in docendo usus esse, et maxime adiutus est beneuolentia studioque CLAASENII et MICHAELIS, Rectorum, quorum amor deesse non potuit ei, quem ipsis et ingenii celeritas et discendi assiduitas maximopere commendarant. Ab his ad academie patriae Professores venit, quod ipsi debuit esse longe iucundissimum, cum, quem habuerat domesticum cohortatorem, eum nunc doctorem audire posset. Patri enim dedit operam, et praeter hunc GOELICKENIO, quorum utriusque postea successit, et suo exemplo ostendit, quam praeclara eorum fuisset disciplina. Hanc autem eo facilius secutus est, postquam ab HERRMANNO acceperat mathematica. Iam etsi quinque annis hoc modo peractis probabili instruitus erat rerum medicarum scientia: tamen cum se nondum satis profectum intellectisset, aut sibi certe, nisi ulterius progrederetur, intra vulgares fines subsistendum esse, cumque ingenium viri et studium hanc penuriam pati non posset: non solum plures annos discendo transmittendos statuit; sed adiungendam etiam eorum cognitionem, qui

Mm 5 aliis

aliis locis eruditionis fama ornamento essent. Fuit enim haec fortuna viri, quod in ea tempora incidit eius vita, quibus ad summorum virorum et amicitiam et disciplinam applicare se potuit. BOERHAVIVM igitur, ALBINVM et GRAVESANDIVM qui potuit talis vir, qualis fuit DE BERGEN, non adire, etiam si nihil nisi eorum fama eum ad visendam academiam Lugdunensem incitasset? Sed noluit esse otiosus eorum admirator, verum perficere eorum beneficio cognitionem, quam domi inchoarat, praesertim anatomiae scientiam augere. Praeterea audiit eosdem enarrantes physiologiam, pathologiam, chemiam, botanicen, interfuitque scholis eorum, cum experimentis confirmarent, quae in physicis iam cognorat. Sed ne sic quidem potuit incredibilis discendi cupiditas satiari, nisi eam quoque artem sibi familiarem redderet, quae in summa difficultate tamen magnam haberet utilitatem. Quare Parisios adiit, ut eo loco Chirurgiam disceret, in quo tamquam sedem fixisset ea disciplina, ibique BOVDONO, qui eo tempore principatum chirurgorum tenebat, adsidue adfuit et tradenti praecepta, et demonstranti vulnerum deligandorum rationem in eorum corporibus, qui in publicis aedificiis publico sumtu currantur. Iam cum multos in hoc genere superaret: tamen et Argentoratum petiit, quod ibi commoda erat anatomiae discenda occasio, atque se SALZMANNO et NICOLAI instituendum tradidit, eoque in loco ad annum seculi huius tricesimum commoratus est. In hoc igitur viro quis neget magnam fuisse doctrinam, qui et in academia patria tanto studio se discendo dicauit, et, quicumque essent apud exteris gentes maxime celebres, eorum quoque institutione vñsus est? Argentorato cum rediret, accessit ad eas Germaniae vrbes, quas videre operae pretium erat, ei praesertim viro quem ipsa via ad haec loca deferret, atque sic collectis vndique praestantissima-

tissimorum rerum thesauris patriae vtilis esse coepit. Sed ne qua re hoc studium impediretur, accommodauit se ei consuetudini, quae introducta est in terris imperio Borussico subiectis, atque Berolini Anatomia tractauit, qua re medicis conceditur potestas artis facienda. Secundum haec Doctoris dignitate ornatus est Francofurti anno 1731, vt quem virum patria aluisset instituisseque, ei praemia tribueret, et ab eo fructum etiam caperet, qui omnis vnicet ad patriam pertinebat. Huius honoris consequendi causa disputationem proposuit de *neruo intercostali* quam sine praefide defendit. Cum igitur doctrinae copia nec occultum pateretur esse hunc virum, et magnam de eo opinionem excitaret, creatus est anno 1732 Professor Extraordinarius Anatomiae in academia patria, quod munus auspicatus est habita oratione de subtilioris anatomies usu in cognoscendis et curandis morbis, et anno 1738 patre mortuo Professor Ordinarius Anatomiae et Botanices. Tandem anno 1744 successit GOELICKENIO, suo olim praceptor, et munus docendae Pathologiae et Therapiae accepit. Quibus omnibus muneribus tanta cum fide curaque praefuit, quantam ab eo exspectare iubebat vitae integritas, et tanta cum utilitate discen- tium, quantam facile promittebat multorum annorum usu comparata eruditio. Eadem fide et integritate usus est in fungendo munere Rectoris Academiae, quo honore quinques ornatus est. Quod autem per omnem vitam habuerat propositum, ut maxime in anatomicis versaretur, id non solum ex omni hac enarratione vitae scriptorumque eius intelligitur; sed et ex amore, quo erga hanc disciplinam flagravit, quam vel hoc modo studiosis commendare voluit, quod a rege Borussorum impetravit, vt, quicumque in vicinia Francofurti vel suppicio interempti essent, vel in publicis aedificiis mortui, eorum corpora Francofurtum dissecanda deportarentur. Idem amor

eum

eum impulit, vt magnam exquisitissimorum librorum anatomicorum multitudinem colligeret, quem admodum omnino ipsi egregia fuit librorum eorum copia, qui ad Botanicen et historiam naturalem pertinent adiuncto magno instrumentorum physicorum numero. Quare ei facillimum fuit, cum quotidie anatomia occuparetur, etiam sollerter inuenire, quae huic disciplinae prodeissent, e quo genere illud instrumentum est, quo caput in tot partes diuidi potest, quot eius ossa sunt. Optandum igitur est, vt longior vita ei contigisset, atque plura eius generis ab eo utiliter excogitata essent. Sed cum vita etiam académiae Francofurtensi erepta est utilitas, quam ex scholis eius studiosi capere potuissent. Inopinato enim quodam terrore ex hostium aduentu percussus est, quem paullo post celerius refrigerium excepit, quod dysenteriae causa fuit, cuius vis cum frangi nullo modo potuisset, morbo succubuit die septimo octobris anni 1760, vita omni et laudabiliter et utiliter aetate. Cum autem eum et patria ciuem, et academia doctorem viuum habuerit carissimum, mortuum memori animo conseruet: nos quoque eudem memoriae posteriorum commendandum existimauimus.

- Index scriptorum a Cl. DE BERGEN editorum:
- Diss. de neruo intercostali pro gradu Doctoris. Francof. ad Viadr. 1731. 4.
- Progr. de membrana cellulosa, non membrana. ibid. 1732. 4.
- Progr. quo Anatomiae praestantia ab obtrectoribus vindicatur. ibid. 1733. 4.
- Progr. quo ventricolorum cerebri lateralium nouam sistit tabulam. ibid. eod. 4.
- Progr. quod de strutura piae matris inter alia nouam nec haec tenus visam tradit obseruationem. ib. 1736. 4.

Diss.

- Diss. de coalitu viscerum. Resp. C. L. *Wessel*. ibid.
eod. 4.
- Progr. de motu cordis modoque, quo vires motrices
eius ad calculum reuocantur. ibid. 1737. 4.
- Diss. I et II. de perspiratione viscerum. Resp. G. R.
Runge. ibid. 1738. 4.
- Progr. de nervis quibusdam crani ad nouem paria
haec tenus non relatis. ibid. eod. 4.
- Progr. de alchymilla incano folio fl. maiore baccis-
que circa radices eius reperiundis. ibid. 1739. 4.
- Diss. III. de perspiratione viscerum. Resp. G. A.
Wyfokinsky. ibid. eod. 4.
- Diss. de pulsu. Resp. B. L. *Huckel*. ibid. 1740. 4.
- Diss. de praecipuis controversiis medico-theoreticis
systematis organicorum et mechanicorum cum ea-
rundem ἐπιμετεσι. Resp. G. A. *Wyfokinsky* ib. eod. 4.
- Diss. de αίματοσκοπίᾳ, siue iudicio medico, ex san-
guine per venae sectionem emisso. Resp. I. R.
Oerio. ibid. eod. 4.
- Diss. de palpitatione cordis. Resp. L. D. *Herrmann*.
ibid. eod. 4.
- De methodo cranii ossa dissuendi cum machinae hunc
in finem constructae delineatione. ibid. 1741. 4.
- Diss. de vitando errore in dijudicandis phaenomenis
antliae pneumaticae. Resp. I. C. *Lindner*. ib. eod. 4.
- Diss. de inflammatione sanguinea ex principiis anato-
micis et mechanicis deducta. Resp. I. F. de *Haage*.
ibid. eod. 4.
- Diss. de conceptione foecunda. Resp. T. S. *Hesse*.
ib. 1742. 4.
- Progr. quod disquirit, vtri systematum, an Tournæ-
fortiano, an Linnaeano potiores partes deferen-
dae sint? ibid. eod. 4.
- Diss. de morbo spasmodico conuulsiuo contagii ex-
perte. Resp. I. M. F. *Müller*. ibid. eod. 4.
- Diss. de lapide lydio medicamentorum bonae notae
regni mineralis. Resp. C. E. *Brumbey*. ibid. eod. 4.
- Progr.

- Progr. quod demonstrat partium anatomes plures esse
haec tenus descriptis et ab auctoribus traditis.
ib. eod. 14.
- Diss. de abusu et inefficacia terreorum. Resp. Fr.
E. Ludeci. ibid. 1743. 4.
- Diss. de grauitate metallorum specifica statice et
hydrostaticce explorata. Resp. I. G. Rammelsberg.
ibid. eod. 4.
- Diss. sistens pentadem obseruationum anatomico-
physiologicarum. Resp. I. S. F. Wideburg.
ibid. eod. 4.
- Catalogus stirpium indigenarum aequae ac exterar-
rum, quas hortus medicus Academiae Viadrinae
complectitur, in quo praeter selecta synonima
generum, specierum et varietatum limitationes
ad mentem recentissimorum rei herbariae scripto-
rum examinantur. ibid. 1744. 8.
- Diss. de lapide lydio medicamentorum bonae notae
regni vegetabilis quoad radices, ligna, cortices
herbasque. Resp. I. A. Wessel. ibid. eod. 4.
- Diss. de venaesectione grauidis suadenda. Resp.
C. Krausse. ibid eod. 4.
- Diss. de lapide lydio medicamentorum bonae notae
regni vegetabilis quoad fructus, semina, resinas,
gummi resinas et gummosa concreta. Resp. C. A.
Oehme. ibid. 1745. 4.
- Tractatus de thermometris mensurae constantis.
ibid. eod. c. tab. aen. 8.
- Diss. de pilorum praeternaturali generatione et pi-
losis tumoribus. Resp. C. C. Wiel. ibid. eod. 4.
- Diss. de lapide lydio medicamentorum bonae notae
regni animalis. Resp. I. W. Rammelsberg. ibid.
1746. 4.
- Diss. de lapide lydio medicamentorum bonae notae
regni vegetabilis quoad succos concretos, balsa-
ma et integras plantas. Resp. I. Reddel. ibid.
eod. 4.
- Diss.

- Diss. de spina ventosa. Resp. C. G. Bruckner. ibid.
eod. 4.
- Oratio de Rhinocerote, quam habuit XVI. O^A.
1746. quum tertium poneret Rectoratum Aca-
demiae. ibid. 4.
- Diss. de maculis punctulis et scintillis aliisque cor-
pusculis visui obseruantibus. Resp. I. H. Goedecken. ibid. 1747. 4.
- Diss. de dentibus, qui sub nomine Hippopotami in
officinis veneunt pharmaceuticis. Resp. C. G.
Bruckner. ibid. eod. 4.
- Diss. de trachea. Resp. F. W. Wachter. ibid. 1748. 4.
- Diss. de febre quartana intermittente. Resp. A. I.
Blume. ibid. eod. 4.
- Epistola de Alchymilla supina eiusque coccis ad FR.
ERN. BRUCKMANNVM. ibid. eod. 4.
- Diss. de fuligine. Resp. G. A. Isaac. ibid. 1750. 4.
- Diss. qua probatur mensuram et proportionem cor-
poris humani summam perfectionem et rigorem
mathematicum non admittere. Resp. I. F. Gedas.
ibid. eod. 4.
- Diss. sistens aphorismos de cognoscendis et curan-
dis infantum morbis. Resp. I. S. Schmid. ibid.
eod. 4.
- Flora Francofurtana methodo facili elaborata. Ac-
cedunt cogitata de studio botanices methodice
et quidem proprio marte addiscendae, termino-
rum technicorum nomenclator et necessarii
indices. ibid. eod. 8.
- Diss. de animalibus hyeme sopitis. Resp. F. Heyn.
ibid. 1751. 4.
- Diss. exhibens aphorismos de cognoscendis et cu-
randis mulierum morbis. Resp. I. A. Richter.
ibid. eod. 4.
- Diss. de rubeolis. Resp. I. F. Beda. ibid. 1752. 4.
- Positiones physicae experimentalis in usus academi-
cos conscriptae ibid. eod. 8. (*Licet in titulo*
huius

- huius libelli Cl. BERGEN nomen suum reticuit, illum tamen eius Auctorem esse, satis constat).*
- Diss. de lethalitate vulnerum hepatis. Resp. R. F. *Riedel.* ibid. 1753. 4.
- Diss. botan. de aloide. ibid. eod. 4. c. f.
- Diss. de morbis auris externae. Resp. F. G. Schiebel. ibid. 1754. 4.
- Diss. de morbis auris internae. Resp. I. A. Dietrich. ibid. eod. 4.
- Diss. de Nyctalopia seu visu nocturno. Resp. A. M. Bach. ibid. eod. 4.
- Diss. sistens chronologiam formularum medicarum et remediorum chirurgicorum. Resp. C. St. L. *Wesenfeld.* ibid. eod. 4.
- Diss. cosmeticae in artis formam redactae Spec. I. Resp. M. Maxai. Spec. II. Resp. I. C. Elardi. ibid. 1755. 4.
- Diss. sistens anatomiae experimentalis partem priorem. Resp. C. St. L. *Wesenfeld.* Partem posteriorem. Resp. I. C. Elardi. ibid. eod. 4.
- Diss. de exercitatione corporis primo sanitatis praefidio. Resp. M. Maxai. ibid. eod. 4.
- Diss. de phrenitide. Resp. F. I. Rohntien. ib. 1756. 4.
- Comment. de thermometris mensurae constantis. Norimb. eod. 4. c. F.
- Diss. de balbutientibus. Francof. ad V. eod. 4.
- Elementa anatomiae experimentalis. ibid. 1758. 8.
- Diss. sistens quaestionem ventilatam, cur dierum criticorum in morbis hoc nostro tempore obseruatorum non aequa, ac olim, sit series et ratio, certo deducta tenore. ibid. eod. 4.
- Diss. de petasitide. Resp. B. C. Malsch. ibid. 1759. 4.
- Classes conchyliorum. Norimberg. 1760. 4.
- Exstant, praeter haec scripta, plures obseruationes, ex variis artis medicae doctrinis desumptae, partim in Commercio litterario Norimbergico, partim etiam in Nouis Actis Academiae Naturae Curiosorum.

XXI.

Continuatio indicis scriptorum physico - medicorum, quae anno 1759 prodierunt.

Lettres intéressantes pour les Médecins de Profession, utiles aux Ecclesiastiques, qui veulent s'appliquer à la Médécine, et curieuses pour tout le Lecteur. à Avignon, 8. Voll. 2.

Sammlung auserlesener Wahrnehmungen aus der Arzneywissenschaft, der Wundarzney und der Apothekerkunst. 3ter Band, aus dem Französischen übersetzt. Frankfurt und Leipzig, 8.

Catalogue des Pièces d'Anatomie, Instrumens, machines etc. qui composent l'Arcenal de Chirurgie formé à Paris pour le Chancellerie de Médecine de Petersbourg sous la Direction de M. MORAND. à Paris, 12.

Ausmessung des menschlichen Körpers und der Theile desselben mit Kupferstichen zum Gebrauch der Aerzte, Mahler und Bildhauer. Berlin, 8.

Kurzgefasste Physiologie und Chirurgie. 2 Stück. Berlin, 8.

Nachricht von einem übelformirten Kinderkopfe, an welchem die Hauptbeine über einander geschoben waren. Berlin, 8.

Leben und besondere Schicksale eines wilden Knabens von 12 Jahren, der zu Barra, einer Schottländischen Insel von zwey Aerzten gefangen und auferzogen worden. Ulm, 8.

Description abrégée des Maladies, qui regnent les plus communement dans les Armées, avec la méthode de les traiter. Vienne, 8. (Auctore Ill. van SWIETEN.)

De recondita febrium intermittentium, tum remittentium natura, et de earum curatione, variis Tom. IX, Pars III. Nn expe-

- experimentis et obseruationibus illustrata. Libri duo. Amstelodami, 8. (*Auctore Ill. SENAC.*)
- Dialoghi familiari scherzosi infra Chirone Chirurgo, e lo Speciale di Poggibonzi sopra la Storia Medica publicata da CARLO GANDINI sotto nome di Diceofilo l'anno 1758. Livorno. (*Auctore IOANNE ANTONIO VANNVCCI.*)
- Saggio di Lettere apologetico-critiche concernenti l'Arte ragionevole di medicare. Opera utile a quei medici, che una tal arte non cognoscono, ed a quegl' Infermi, che sono da essi ingannati; data alla Luce da Diceofilo medico. in Lucca. 4 min. (*Auctor est CAROLVS GANDINI.*)
- Traité des Tumeurs et des Ulceres, ou l'on à tâché de joindre à une Theorie solide, la Pratique la plus sûre et la mieux éprouvée; avec deux lettres sur la composition de quelques remedes, qu'on propose pour la guerison des maladies veneriennes. à Paris, 12. Voll. 2. (*A plurimis Cl. ASTRVC hic liber tribuitur.*)
- Recueil de plusieurs Pièces concernant le Traité des Tumeurs et des Ulceres et l'Extrait qu'on en trouve das le Journal de Médécine de M. VANDER MONDE. à Paris, 12.
- Lettre d'un ancien Professeur en Médécine de la Faculté de Paris, à M. VAN DER MONDE, pour servir de Réponse à la Lettre d'un Médécin de Province à un Médécin de Paris. Cette Lettre fait la troisième Piece, d'un Ecrit intitulé Recueil de plusieurs Pièces concernant le Traité des Tumeurs et Ulceres etc. à Amsterdam, 8 mai.
- La Verolette, ou petite Verole volante. à Paris.
- Di tre Specie d'Affezione isterica e ipocondriaca, Trattato Theorico Prattico; e consulti del Sign. Conte D. SILVESTRO - ANTONIO PONTICELLI de Cartagnana. In Lucca. 8.

Lettera

Lettera responsiva intorno ad alcune Donne da certi Professori pretese galliche, e dallo Scrittore constantemente negate. in Lucca. 8 min.

Les Abus de la Saignée démontrés par des Raifons prises de la Nature et de la Pratique des plus celebres Médecins de tous le tems avec un Appendix sur les Moyens de perfectionner la Médécine. à Paris, 12. (*Auctore Cl. BOYER D. Monspel*).

Memoire sur la maniere la plus simple et la plus sûre de rappeller les noyés à la vie etc. à Paris, 8.

Dictionnaire Botanique et Pharmaceutique, contenant les propriétés des Mineraux, des Végétaux et des Animaux d'usage avec les préparations de Pharmacie, internes et externes, les plus usitées en Médécine et en Chirurgie : le tout tiré des meilleurs Auteurs, sur tout des modernes par * * * à Paris, 8.

Le Manuel des Officiers de Bouche, ou le Precis de tous les Apprêts quel' on peut faire des Alimens, pour servir toutes les Tables suivant l'ordre des Saifons et des Services. à Paris, 12.

Pharmacopœa pauperum in usum nosocomii regis Edinburgensis. Editio tertia. Edinburgi, 8.

Les Secrets et les Fraudes de la Chymie et de la Pharmacie modernes dévoilés par l'exposition de plusieurs pratiques nouvelles et importantes, pour tous ceux, qui ont intérêt de s'assurer de la bonté des remèdes et de pouvoir les fournir à un prix raifonnable: Ouvrage traduit de l'Anglois. à la Haye, 8.

Arzneyen. Berlin, 12.

Medicinischer Streit so über die Würckung des Ailhau-dischen Pulvers in Frankreich entstanden. Aus dem Französischen übersetzt, 4.

Sammlung chirurgischer Bemerkungen aus verschiedenen Sprachen übersetzt. 2ter Theil. Altenburg, 8 m. K.

Chymische Experimente einer Gesellschaft in dem Erzgebürge 5 und 6tes Stück. Berlin, 8. Partibus omnibus nunc praefixus est communis titulus: *Sammlung 857 chymischer Experimente einer Gesellschaft in dem Erzgebürge*, darinnen alle die Erscheinungen, welche man bey chymischer Bearbeitung verschiedener Körper wahrgenommen, treu und aufrichtig angezeigt werden, nebst einer Vorrede begleitet von D. E. G. KVRELLA. Berlin, 8.

Institutes of experimental chemistry: being an Essay towards reducing that branch of Natural Philosophy to a regular System. By the Author of the Elaboratory laid open etc. Vol. I. II. London, 8 mai.

Versuch diejenigen, welche den Stein der Weisheit zu erfinden trachten, durch Ausbrüche hermetischer Schriftsteller von Irrwegen abzuleiten. 2tes Stück. Franckfurt, 8.

Nieder - Sächsisches Kochbuch oder 710 Anweisungs-Regeln, wornach, sowohl kostbare als ordinäre Speisen präparirt, auch Gartenfrüchte getrocknet und eingemacht werden können, nebst Unterricht von Confituren. Altona, 8.

Der vollkommene Färber oder Unterricht zur Wollfärberey und Manufacturen, wie auch zur Zubereitung der Hüte, worinn von allen Farben, und von dem Anbau und Zurichtung der Ingredienzen, die man dazu brauchet, gehandelt; aus dem Französischen übersetzt. Nebst zwey Anhängen zweyer wohlerfahrner deutscher Färber. Sorau, 8.

Des in der Chymie erfahrenen Münch's DE ABATIA Verwandlung der Metalle und richtiger Wegweiser zum Licht der Natur. Frankf. und Mannheim, 8.

IO. TRAUGOTT ADOLPH, Diss. inaug. de com-
modis ex scapularum mobilitate homini oriundis.
Halae, 4.

F. V. T. AEPINVS. Tentamen theoriae electricita-
tis et magnetismi. Accedunt dissertationes duae,
quarum prior phaenomenon quoddam elec-
tricum, altera magneticum explicat. Petropoli, 4.

Resebeskrifning ofwer Saxen af IONAS APENBLAD.
Stokholm, 8.

PETRI ARDVINI animaduersiorum botanicarum
specimen. Patauii, 4. c. tab. aen. 12.

— — ARNOLD Progr. de thermometri sub cam-
pana antiae pneumaticae suspensi variationibus.
Erlang, 4.

IOAN. ASTRVC, Quaest. med. an saccharum
alimentum? Resp. Stephan. d'Huaume. Pa-
risiis, 4.

SAMVEL AVRIVILLVS, Diss. de laeso motu in-
testinorum vermiculari. Resp. Christoph. Gadner.
Vpsal. 4.

Dictionnaire raisonné et uniuersel des Animaux;
ou le Regne animal: consistant en Qua-
drupedes, Cétacées, Oiseaux, Reptiles, Pois-
sons, Insectes, Vers, Zoophytes ou Plan-
tes animales; leurs propriétés en Médécine; la
classe, la famille ou l'ordre, le genre, l'espèce
avec ses variétés, ou chaque animal est rangé
suivant les différentes méthodes ou nouveaux
systèmes des Messieurs LINNAEVS, KLEIN et
BRISSON: par M. D. L. C. D. B. Tome I. II. III. IV.
à Paris, 4 mai. Voll 4.

Dictionnaire portatif de Santé, dans lequel tout
le monde peut prendre une connoissance suffi-
sante de toutes les maladies, des differens signes
qui les characterisent chacune en particulier;
des moyens les plus sûrs pour s'en préserver ou

des remedes les plus efficaces pour se guerir et enfin de toutes les instructions nécessaires pour être soi-même son propre Médécin. Le tout recueilli des Ouvrages, tant anciens, que modernes, des Médécins les plus fameux, et augmenté d'une infinité de recettes particulières et de spécifiques pour toutes sortes des maladies. Par M. L ** et M. B ** à Paris, 8. Voll. 2.

A Treatise on the three different Digestions, and Discharges of the Human Body. And the Diseases of their Principal Organs. By EDWARD BARRY. London, 8 mai.

JOAN. CAROLI BARSANTI Oratio inaug. de balneis. Pisces, 4.

IOBI BASTERI opuscula subseciua, obseruationes miscellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis, eorumque ouariis et seminibus continentia. Liber Imus. Harlemi, 4. c. f.

Prodiit idem liber eodem et tempore et loco Belgice versus.

Fungorum agri Ariminensis historia a IO. ANTONIO BATTARRA compilata, aeneisque tabulis quadraginta locupletata. Editio secunda nec aucta, nec imminuta. Fauentiae.

IO. WILH. BAVMER. Diss. de mineralogia territorii Erfurtensis. Resp. Iac. Henr. Rittermann. Erford. 4.

IOH. GOTTLIEB BECKMANN'S Anweisung zu einer pfleglichen Forstwirthschaft, zum allgemeinen Besten und als ein 2ter Theil seiner Versuche von der Holzsaat herausgegeben. Chemnitz, 4.

GODOFR. CHRISTOPH. BEIREIS. Progr. de utilitate et necessitate historiae naturalis. Helmst. 4.

LAVRENTII BELLINI opuscula physico medica selectiora, methodo mathematica exposita. Editio quinta cum praefatione ANTONII MATANII. Pisces, 4.

CAROL. AVGUST. DE BERGEN, Diss. inaug. de petasitide. Resp. Beniam. Constant. Malsch. Francof ad. V. 4.

Traité sur la nature et sur la culture de la Vigne, sur le Vin, la façon de le faire et la manière de le bien gouverner. A l'usage des différens Vignobles du Royaume de France. Seconde editio, augmentée et corrigée par M. BIDET; et revuë par M. DU HAMEL DU MONCEAU. Tom. I. II. à Paris, 12. Voll. 2.

SIMON. PHILIP. BIEYSSE, Thes. med. de putredine. Monspelii, 4.

IO. NEPOMVC. RVDOLPH. DE BINGEN, Diss. inaug. de carnositate vesicae morbosa. Altorf. 4.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum.
i. e. ELISAB. BLACKWELL collectio stirpium,
quae in pharmacopolis ad medicum usum assertuantur etc. cum praefatione CHR. IAC. TREW;
excudit figuræ pinxit atque in aes incidit NIC. FRID. EISENBERGER. s. Vermehrtes und verbessertes
Blackwellisches Kräuterbuch u. s. w. von 476 bis
497 Blat illuminirt. Nürnberg, fol. mai.

PHIL. ADOLPH. BOEHMER, Diss. inaug. de haemorrhagia suppuratoria. Resp. Ioan. Andr. Gerken. Halae, 4.

Eiusd. Diss. inaug. de utilitate paracenteseos frequenter in ascite singulari casu comprobata. Resp. Ioan. Buchholz, ibid. 4.

HERRMANN BOERHAAVENS gründliche Abhandlung von Augenkrankheiten und derselben Cur, durch bewährte sichere auch auf eigne Erfahrung gegründete Mittel und beygesetzte Recepte. Zweyter vermehrte Auflage. Nürnberg, 8.



Contenta in hac Parte.

1. Histoire et Memoires de l' Academie Royale de Sciences de Paris, an. 1754 - - - p. 371
2. TRALLES vsus opii salubris et noxius Sect. III. - - - p. 398
3. SCOPOLI Flora Carniolica - - - p. 415
4. IACQVIN enumeratio plantarum ex insulis Caribaeis - - - p. 424
5. DE HAEN, Quæstiones super methodo inoculandi variolas - - - p. 426
6. TISSOT Lettre a Mr. DE HAEN en reponse a ses questions sur l'inoculation - - p. 430
7. DE HAEN, Refutation de l'inoculation etc. p. 436
8. KESSLER, Diff. de nonnullis ad variolarum infectionem pertinentibus - - - p. 438
9. VANDERMONDE, Jurnal de Medecine, Chirurgie etc. Tom. IX et X - - - p. 440
10. DE BERGEN, Classes conchyliorum - - p. 458
11. DE HAEN, Theses sistenstes febrium diuisiones p. 462
12. HASENOEHRL, Historia medica morbi epidemici 1757-1759 - - - - p. 471
13. STOERCK, annus medicus - - - p. 475
14. HALLEN Naturgeschichte der Thiere. Die Vogelgeschichte - - - - p. 486
15. HOME, Medical Facts and Experiments - - p. 495
16. BARRY, a Treatise on the three different Digestions and Discharges of the Human Body p. 506
17. PIZZORNO Orazione eccitatoria all'introduzione dell' inesto de Vajolo, con l'aggiunta de' motivi del D. GANDINI - - - p. 518
18. Fränckische Sammlungen. IVter Band p. 524
19. CLERC Svenska Spindlar. Aranei Suecici descriptionibus et figuris æneis illustrati p. 535
20. Noua physico-medica - - - - p. 541
21. Continuatio indicis scriptorum physico-medico-rum, quæ anno 1759 prodierunt - - p. 561